Paris

p. 1

s, R. Esti

tienne, 15

533, 1 vo

ol., in-4°

p.1

o , 107 p.

107	A

BN / 4°

AUPELF /

4° X. 666

/ CNRS

© 1972

2 FRANCE

E EXPANS

SION

CAROLI BO-
uilli Samarobrini li-

BER DE DIFFERENTIA VVL-
gariũ linguarũ, & Gallici ſermonis varietate.
Quæ voces apud Gallos ſint factitiæ & arbitra-
riæ, vel barbaricæ: quæ item ab origine Latina
manarint.
De hallucinatione Gallicanorum nominum.

BIBLIOTHÈQUE NATIONALE
Collon
RISTELHUEBER
No 1361
IMPRIMÉS

PARISIIS.
Ex officina Roberti Stephani.
M.D.XXXIII.

R.F.

CAROLVS BOVILLVS SAMARObrinus, Martiali Maſurio, viro Theologico apice inſigni S.

QVADAM DIE in læto ſympoſio optime mi Martialis, orta inter diſcumbentes, vulgariũ linguarũ mẽtione: inhortati ex eis quidam ſunt me, vt ea in re opuſculum, mea per otia conſcriberem: cauſati id quidem nec inutile nec iniucundum fore. Diſtuli diu, eorum ſuaſiunculis parere, & morem gerere: cum quod grauiore piſcatura, diuerſo longe in æquore detinebar, in quo ieceram eſurientis animi retia: tum quod id negotii nõ minus non exigui laboris, quam modicæ vtilitatis eſſe rebar: & quod inſuper, totum in experimẽtis, plus quam in rationibus animi cõſiſteret. In experimẽtis dicõ, quia poſitiones vocum, & nominum, ex quibus texturæ fiũt ſermonum & orationum, haud aliud habuere initium, quam ſpõtaneum & varium hominum arbitrium. In his enim nullus rationis tenor, nulla ibi fixa & certa mẽtis aurigatio: ſed eo nauigandũ, ibi figenda anchora, quo tempus, quo locus, & quo incerta hominũ labia vocant ingenia. Adde quod quotidie humanorum labiorum vitia ſecant, variant, adulterant incompta vulgi idiomata: adeo vt permodica loci diſtantia protinus inuertat cuiuſlibet popularis linguæ ſtilum, & verſuram faciat in labiis imperitorum hominũ. Hæc nimirum me remorabantur ab inchoãdo opere. Tandem tamen victus importunitate rogantium, labori parcere nolui. Et membranam ad id operis primo otio pumice perfricui: nec deſtiti quoad iſtud opuſculũ excudi. In quo poſtea quam edoceo quæ quondam barbaræ nationes per Gallias tranſierint, & quæ in ea reſederint, (a quibus effectum eſt vt Gallica nũc lingua ſit bona ſui parte promiſcua, habẽs in ſe plurima quæ Latinam mentiantur originem) etiam

pedetentim, per ſingulas Latini abecedarii, ſiue alphabeti literas excurro: vt ab affinitate duarū aſſidue, & duarum literarum, quam ſoni paritas auribus inculcat, cum diſquiram, tum edoceam cauſam corruptionis, permiſtionis, & adulterationis populariū nominū, quæ vulgares linguas (quas in ſua amuſſi & idea nullæ regularum & præceptionum ſiſtunt habenæ) loco, tempore, & horoſcopo vitiet & variet. Id præſertim in Gallica lingua molior: cuius etiam cauſa præſentis operis aleam ieci. Et quia te, præter meliorum literarum amorem, eiuſce quoque rei amantiſſimum noui: opuſculū tibi iſtud dicandum cenſui. Cui annexui in fine, appendicem hallucinationis nominū Gallicanarū vrbium & regionum. Vale. Nouioduni, nonis Septembris. M.D. XXXI.

Caroli Bouilli Sama-

ROBRINI DE VITIIS VVLgarium linguarum Liber, ad Martialem Maſurium, Theologum non gregarium.

Vulgares eſſe linguas tres, Italicam, Gallicam, Hiſpanam, Romanæ linguæ admodum conſentaneas. Cap. I.

TRES IN cõperto eſt eſſe linguas, Romano ſermoni admodum conſentaneas: Italicam, Gallicā, Hiſpanā. Nam ſimile veri eſt, Romanos quondam orbis victores, vel adegiſſe in ſui ſermonis vſum Galliam & Hiſpaniam: vel id quidem dudum, ijs regionibus, alia de cauſa obtigiſſe, vti forte à vicinia & frequēti commeatu Italiæ. Porro Germanorū lingua vt orta à barbaris, ita & à Romano ſermone, tota ferè diſſentit: perpauca enim ipſa habet quæ Romano conſpirent labio. Quōdam Druidæ, veteres Gallorū ſapiētes, græca in myſterijs ſuis vſi lingua traduntur: quod & Cæſar in Commentarijs refert, idque eueniſſe credibile eſt antequam Romanam Galli linguam nouiſſent: vt antiquioris linguæ vſum, eiuſmodi docti viri, & clari ſapiētiæ alumni, in ſuorum myſteriorum arcana denūtiatione, à Græcis emutuarint. Qua de re Gallicus etiam ſermo, in vulgi labijs compluſculas vſque hodie retentat voces, quas à Græco ſermone originē duxiſſe, improbet doctꝰ nemo: ſicuti poſtea mōſtrabimus cū nobis vlteriora percurrētibus, verba ipſa ſuo loco obiter occurrēt.

A permodica loci diſtantia: mox vulgi linguam effici variam. Cap. II.

CAVSAS enim iſtic perſcrutari curſim, atque adaperire eas nitemur: ob quas Gallica, in qua nati ſumus lingua, intra Gallici ſoli fines, tam diuerſa ſit & varia. Nam ſicut hæc à Latina lingua, cum per inobſeruantiam regularium: tum per diſtantiam locorum, & vitia labiorum, ab homophonia antiqua labaſcit, ita & in ſeipſa permagnam illico differentiam habet, adeo vt quot in Gallia populi, quot regiones, quot vrbes, tot & tantos experiamur nunc in ea eſſe hominum mores & ſer-

mones. Id quoque in omni accidit natione quam cæli teſtudo tegit, vt à modica loci intercapedine, mox cæleſti quodam horoſcopo, & ſyderis influxu, in hominum labijs verſurã faciente, varientur & linguæ. Sebboleth, & Chebboleth Hebraicę dictiones, quibus ſpicam olim Hebræi in regione ſua innuebant, ſumptum à ſacris eloquijs, huius rei exemplum promunt. Galaaditæ nempe, & Ephrathei vicini erant populi homogloſſi: & illi quidem ab iſtis prognati: & tamen iſtorum labia, cum Chebboleth, illorum Sebboleth reſonarent: hæc vnius tantum literæ variatio, magnæ iſtorum cædis, in vado Iordanis ab illis peractæ, indicium præbuit & ſignum. Iſtud quoque vitij hodie inter multos vbique ſedet, vti in exemplis patebit, quæ ſuus locus ſilentio non teget.

Vniuerſam Galliam quinque finibus ac terminis claudi. Cap. III.

VNIVERSAE Galliæ quinque ſunt fines, Alpes, Rhenus, Oceanus, Pyreneus, Mediterraneum mare. Alpibus inter meridiem, & orientem perpetuo iugo exurgẽtibus, Gallia omnis ab Italia ſemouetur. Rhenus ex Alpibus in Aquilonẽ fluens, illam à latere orientis, à Germania diducit. Oceanus, ab oſtijs Rheni vſque ad Aquilonarem Pyrenei montis angulum, illam à Britannia diſtinguit. Pyreneus mons, geminis cornibus, duo maria, Oceanũ & Mediterraneum attingens: peninſulam Hiſpaniã, velut angulum totius Europæ, à vicina Gallia ſeiungit. A Meridionali vero angulo Pyrenei mõtis, vſque ad Alpes, in Mediterraneum mare, Aphricam verſus, late patet proſpectus Galliæ. His quinque finibus Gallia omnis, citra Alpes cincta, quæ quondã homogloſſos & homotropos homines, vniuſve linguæ & moris aluit, ſicut varia nunc audit imperia; ita & idiomata habet non vniformia.

Varias barbarorũ eruptiones Gallicã linguã in compluribus à Romano eloquio diſſentaneã effeciſſe. Cap. IIII.

ERVPTIONES quippe barbarorũ, qui vel per Galliã tranſiere, vel in ea cõſedere, plurimis vocibus à Romano eloquio prorſus diſſentaneis, Gallicã linguã miſcuere. Per Gallias quondam tranſiere Gothi, Alani, Huni, VVandali, & alij barbari complures. Gothorum pars, trans Alpes profecta, in Italia conſedit. Pars in citeriore Hiſpania regnũ cõdidit. Quibus permixta Alanorũ gens, confectum ex Gothis & Alanis nomẽ, regioni Gathalonię dedit, tanquã Cothicæ Alaniæ. Quod poſteritatis labiũ, verſo G in C, nũc Cathaloniã ſimplici⁹ effert.

VVandalorũ gens , poſt multarũ in Gallia vrbiũ euerſionem, pars in vlteriorem Hiſpaniam tranſijt,quam hodie VVandalonſiam Hiſpanum vulgus vocat. Pars, traiecto Atlantico mari, in Aphrica reſedit: in qua & VVandalorũ regnũ erexit,quod vſq; ad tempora Iuſtiniani & Beliſarij ducis manſit:multaſque perſecutiones,ſæuiente iniquo Arrianorum flagello,Chriſtianis cōcitauit. Huni ſub Totila quōdam immani rege, qui ſe flagellum dei nominari voluit, Gallias ingreſſi,cũ Gothis, & Etio patritio Romano,& Meroneo Francorum rege, in Cathalanicis campis (de quib⁹ poſtea dicemus: quia quinam hi ſint,hodie inter Gallos controuerſia eſt) dubia victoria cōgreſſi,poſt memorabilem illam cladem,quæ centena & octogena hominum millia ſtrauit, in Pannonias rediere. In quibus pars eorum conſedit, pars cum rege ipſo in Italiã,per Coctias Alpes contendit. Qui vero in Pannonijs ſedem delegere,eos, à ſuo nomine Huneriam,gallice *Hunerie*, in initio poſteritas dixit . Sed tandem à vitiata labiorum prolatione , addita in medio litera G, ſonat nunc nomen *Hongerie*, & Latine Hungaria. Compluſcula inter Belgas extant hodie Hunorum veſtigia, id eſt loca ab Hunis habentia nomen . Lihunum quod vocant Gallica voce *Lihuns*, inſignis pagus, in medio eius regionis quam vulgus noſtrũ Sanguiterſum appellat, à Sanguine terſo,& peracta ibi quadam ſtrage Hunorũ. In Veromanduo quoq; ſolo pagi ſunt duo, *Humbleux & Humbliers* : illi à loco huic à mulieribus Hunorum,adiecta in medio litera b,datũ nomen. Ne quære lector in iſtis pōdus authoritatis aliud,quàm vel ex præſentanea alluſione,& reſpōſo nominum:vel ex memoria, & veteribus quibuſdam annalibus vulgi . Latinæ ſiquidē in iſtis hiſtoriæ deſunt, quæ nos iuuent.

Quondam in Galliis,quinque barbarorum nationes conſediſſe. Cap. v.

TRANSIERVNT igitur per Gallias cũ alijs nonnullis hæ quas denarrauim⁹,barbaræ nationes. Quarũ VVãdali Veromãdiam,vrbem Veromanduorum,in quibus natus ſum,emporium,& pontificiam ſedem,ſub diuo Medardo tum eius loci pontifice(à quo ſedes Nouiodunum tranſlata)funditus euerterunt . Nunc hodie Veromandia , pagus eſt exiguus, vix vlla retinens veſtigia antiquæ vrbis , præterquam ſolius nominis. quod hodie,toti vicinæ regioni(in Francorum regno nobiliſſimæ & in Parrhiſiorum ſenatu primæ)ſedet. Porro in Gallia,quinque alienigenarum nationes ſediſſe,hiſtoriæ docēt, Bur-

gundiones, Fra̅cos, Britones, Flandros & Northmannos: de quibus ſingillatim dicemus.

Burgundionum origo. Cap. VI.

BVRGVNDIONES ſeu Burgundi, horũ feruntur eſſe progenies, quos olim Germanicus Druſus, tuendæ à Germanorum irruptionibus Galliæ ſecundũ ulteriorem Rheni ripam diſtribuerat, & ibi caſtra eos metari iuſſerat. Hi quidem, vbi ſucceſſu temporum, in gentis numerum coaluerũt, traiecto tandem Rheno, eam ſuperioris Galliæ partem cepere in qua nunc ſedent. In ea ſunt Hedui, & Sequani, qui quondam ante aduentum Cæſaris, de totius principatu Galliæ, ſummis inter ſe viribus contendebant. Dicti autem ſunt Burgundi, à burgo: quod Germanica lingua villulam ſonat: quia paſſim in villis & tentorijs, de more militum, hi diu, iuxta fluuium Rhenum priuſquam in Galliam tra̅ſiſſent, ſederunt. Multis hi annis in Gallia regnauerunt. Tandem eorum regnum Fra̅corum regno cedens, hodie inſignem ducatus titulum ſeruat.

Francorum origo. Cap. VII.

FRANCI, primum à Troiæ ruinis egreſſi, diu ſub Sicambrorum nomine, in Pannonia conſediſſe memorãtur. Tandem hi in citeriorem Germaniam à vicinis populis aduerſum Gallos Belgas euocati, relicta Pannonia, regionem vicinam Rheno annis aliquot tenuere. In qua aſſiduis bellis nunc citra, nunc vltra Rhenum, cum Belgis confligẽtes, poſt ingentem quandam Gallorum ſtragem à Franco, ſuo eius temporis rege perpetratam: deinceps, ob perpetuam ſui regis memoriam, ſe Francos, quàm Sicambros, dici maluere. Multis exinde prælijs victores & fortiores Gallis effecti, cũ vniuerſo exercitu, traiecto Rheno, in Galliam tranſierunt: & in Parrhiſio ſolo, regnum ſui nominis, initio quidem exile condiderunt. Quod poſtea auctis viribus, longe brachia ſuæ victoriæ protẽdens, totam ferè Galliã, hodie ſuo ſub iugo habet. Cuius etiã nomẽ, nouo & peregrino Franciæ nomine obfuſcauit. De Sicambris meminit in Cõmẽtarijs Cæſar. Et Remigius clariſſimus Rhemorũ Archiepiſcopus, authore Iohãne Tritemio in Epitome regũ Francorũ, cum Clodoueũ Francorum regem ſacro regenerationis fonte ablueret: hortaturus eum, vt mitiore iam animo fieret, vtve priſcam exueret barbariem: ita illum affatus eſt, Iam mitis, depone colla Sicamber. Non Francum eum, ſed veteri ſuæ gentis nomine, Sicambrum appellans. Vicinus eſt Parrhiſijs locus, caſtello

inſignis, quem vulgus hodie *Dammartin en Goudle* (id eſt in Gallia) vocat. Ibi aduerte, antiqui Galliæ nominis reſidua ſupereſſe veſtigia: & diſtinctionem fieri eius loci à Francia noua, id eſt à ſolo Parrhiſio, in quo Franci, prima ſui regni vexilla erexerũt. *Goudle* enim vulgo, *Gaule*, ſeu Gallia eſt. Eſt & ei loco vicina Valleſiæ regio, gallice *Vallois*, quaſi *VVallois* (Nam Belgæ literam G, in duplex VV, perſæpe demutare ſolẽt) hodie ducatus titulo clara: Hęc vna antiquum Galliæ nomen, licet paulo corruptum ſeruat: quã etiã plurimi eius pagi antiquiſſimã eſſe totius Gallię regionẽ probant. quibus eſt à Gallo, primo Gallorũ cõditore nomen, *Gaunille*, *Gaulieu*, Id eſt Galli villa, Galli locus, tanquã ea forte regio, aduentanti cũ ſuis colonijs Comero Gallo, Gallorũ (vt Babylonius vult Beroſus) progenitori prima prębuerit hoſpitia. Hodie quoq; Frãcorũ reges, qui linea maſcula à Hugone cognomine Capeto prognati, vſque ad Philippũ Pulchrũ, eiuſque liberos cognomẽ Capeti tulère, à Philippo Valeſio eius regionis comite, poſtea rege, ſe deinceps cognomento Valeſios dici malunt. Antiquum porro Gallorum nomen crebrius in ore Belgarum, quàm Francorũ ſedet: quum quotidie Belgæ non ſe Frãcos, ſed Gallos, vulgo ſuo *VVallons* eſſe proclament. In inferiore Germania regio eſt nomine VVeſtfallia, id eſt meridionalis VVallia, ſeu Gallia. Corrupit enim temporis antiquitàs G, in VV. Et tandem etiam literas vv: vertit in f, vt nũc VVeſtfalliam eã vocent, quam VVeſtvvalliam, ſeu VVeſtgalliam dicere deberẽt. Hæc diximus vt antiquitati Gallici nominis, pene iam tota Gallia obſoleti, tantiſper alluderemus.

Dammartin en Goudle.

Vallois.

Gaunille.

Britonum origo. Cap. VIII.

BRITONES, qui hodie in Gallia, diuerſo à Gallis idiomate ſedent, nonnulli memorant veterũ Britannorum eſſe progeniẽ, qui ſub Arturo, clariſſimo quondam Britannorum rege, aut paulo poſt, pulſi à Saxonibus (quos quidam Gallorum annales, vulgo *les Sennes* appellant) eas maritimas Galliæ vrbes occupauere, quas Iulius Cæſar Armoricas vocat: Gallorum autem veteres hiſtoriæ, vulgo *Les aigremoires*: quaſi *Les aigues maires*, quòd maritimæ ſint, & aquæ maris vicinæ. Argumento eſt, Britonas in Gallia eſſe Cæſare recentiores, quòd eorum in Gallijs nuſquam meminit Cæſar. Citerior Britonum portio, quæ ob Gallorum viciniam, cũ cæteris Gallis homogloſſa eſt, & vnanimem cum eis linguã habet, ſe Britones Gallos dici iubet. Cæteros inferioris maris accolas, antiqua Britannorum lingua vten-

tes Galli hodie Britones britonantes appellant.

De Flandrorum origine & nomine. Cap. LX.

FLANDRI, quos quidam Flamingos ſeu Frandrenſes appellant, qui inferioris, & maritimæ Galliæ Aquilonarem oram, diſſimili a cęteris Gallis lingua, colunt: ſi quibuſdam vulgi annalibus credimus, à Saxonibus originē habent. Nam cum Carolus magnus, Saxones ſæpe rebellantes, bis terque viciſſet, ingens tandem eorum agmen, & totius robur populi, in eam Galliæ partem, cum vxoribus & liberis traduxit: quam ad id temporis, a frequentia & magnitudine ſyluarum, à nullis, vel paucis inhabitatam, & cultorum indigam, Galli foreſtariam vocabant. Iuſſitque rex, vt ſyluis excíſis, noui Saxonum coloni, terram colerent, & domos vrbeſque extruerent. Syluam enim Galli *foreſt* vocant, quæ vox incertæ originis eſt & latinæ linguæ nihil alludit: niſi quis ea, à voce foras, deduci velit. A qua etiā nunc Gallico vulgo, hi *forains* dicūtur, qui extrarij ſunt, & cultores ſyluarum. Vnde autem Flandrorū ſeu Flandriæ emerſerit nomē, ſatis indicat ipſa vocis alluſio: quanquam lapſu temporum plus media parte eroſa, originem iam pene ſuam mentiatur. Conflatum eſt id nomen è duplici dictione, *foreſt* & *lant*, quaſi *foreſtlant*, id eſt ſyluæ patria, ſeu ſyluæ regio. *Lant* quippe, Germanica lingua, patriam ſignat. Quod & vicinarum nomina regionū oſtentant, Zelant, Holant, Iſlant, Id eſt patria aquæ, nempe inſula vndecunque Oceano cincta. Patria alta, patria glacialis, quæ eſt inſula Tylæ, vltima verſus glacialē polum. Hæc autē nomina vulgo nunc noſtro, verſa litera T in D, & adiectione literarum R & E, ſonant *Flandre*, *Zelandre*, *Holandre*, *Iſlandre*. Sic veriſimile eſt, effectum fuiſſe, tam ipſo breuiloquio, quàm labiorū vitio, & diuturnitate temporum, vt ex integro quondam nomine, *foreſtlant*: dein *forlant*, ſuperfuerit tandem in labijs vulgi truncata dictio *flant*, tandem cōmutata in vulgarem vocem *Flandre*: originem, ſicuti diximus, penè iam ſuam hodie ementientem. Hanc vicinā Oceano inferioris Galliæ portionem, quondam incultam fuiſſe, argumento eſt, quòd nullarum prorſus Flandriæ vrbium Cæſar in Cōmentarijs meminit: qui cūctis ſaltem memoratu dignis, totius Galliæ vrbibus Latina nomina poſuit, quorum plurima hodie extant: compluſcula vel temporum vetuſtate, vel populorum nouitate, aut vitiata, aut penitus obliterata, periere. Innouatio enim populorum, cum temporū edacitate, ſicut vetera eroſit, ita & noua, vrbibus & regionibus nomina poſuit. Et vt Cæſari ob-

iter alludamus, quædam fortaſſe fata dedere, vt is vnus, Latinis nominibus, Galliæ vrbes imbueret, qui inuictos ad id temporis Gallos ſubegit, Romanóſque ſæpe à Gallis deuictos ſolito & antiquo eorum metu liberauit: & qui poſtea, Gallorum auxilio, Romanos Romanus deuicit, eorúmque rempublicam à multis ad vnius imperiũ tranſtulit, de quo quidam id fudit carmen, Is ſolus Gallos vicit, qui vicit & orbẽ. Antiqua quippe oracula cecinerãt Galliam, quæ ſemper terrori Romanis fuit, etiã tandem Romanis principem miſſuram. Sicut & de Veſpaſiano prædictum fuerat, venturum à Iudæa qui Romanis imperaret.

Origo Northmannorum. Cap. X.

NORTHMANNI omnium Galliæ alienigenarum recentiſſimi, à Septentrione (nempe à Danis, ad polum noſtrum vergentibus) duce Rolone profecti, ſub Carolo Simplice Francorum rege, infeſto agmine, Gallias intrauere. Hi poſt multarum tandem regionum, & vrbium excidia, pacti cum Carolo rege, deſponſata Roloni duci regis filia, in Neuſtria, ſibi in dotem conceſſa, conſederunt: quam Northmanniam vocauerunt, quòd viri à Septentrione profecti eam obtinuiſſent. *North* quippe, patria eorum lingua Septentrionem, *Man* virum ſignat. Hoc indicio credibile eſt, antiquiſſimam Veromãduorum vrbẽ, vulgo *Verman*, dudum à VVandalis, vt prædixi, æquatã ſolo, & in ſpeciem pagi antiquum nomen ſeruantis redactam, à Germanis conditam fuiſſe. Nam & Cæſar in Commentarijs, pleroſque Belgarum à Germanis originẽ duxiſſe ſcribit. Eſt enim *Verrotman*, Germanica lingua, putridus vir: forte in fundamentis condendæ vrbis, effoſſum putridi viri cadauer, vrbi nomen dedit: perinde atque Romano quondam Capitolio, capitis inuentio. Et Mediolanæ vrbi, inuentio ſuis, cuius pars media, inſueto lanæ vellere tecta, admirationi & prodigio conditoribus fuit.

Quæ nationes in Gallia, diuerſo à Gallis ſermone, ſederint. Cap. XI.

RECENSVI curſim quæ barbarorũ eruptiones per Gallias tranſierunt, & quæ in ea ſedem fixere: vt oſtenderẽ non ab re, Gallicam linguam, quanquam à Romano ſermone exortam, nũc tamen apparere exoticam, & promiſcuam, & bona ſui parte à Romano eloquio diſſentaneam, vt quæ plurimas voces contraxerit à barbaris. Burgundi, Franci, & Northmanni, inter Gallos cõmorati, tẽporũ diuturnitate, recepto tandẽ Gallici ſermonis vſu, patriam ſenſim linguam obliuioni dedere.

Flandri, & inferior ſeu maritima Britonũ portio, velut in Galliæ angulis, à Gallis diſiuncti, antiquæ linguæ vſum, in hanc vſque diem tenuere.

De Biſcainis inter Gallos & Hiſpanos diuerſa ab vtriſque vtentibus lingua. Cap. XII.

SEDET partim in Gallia, partim in Hiſpania, gens ignotæ originis, diuerſa & à Gallis, & ab Hiſpanis eloquio. Partem eius gentis in Pyreneo ſitam, & Hiſpanorum regno obaudientem, Hiſpani Biſcainos, ſeu Viſcanos vocant. Portionem vero cæteram citra Pyreneum, in Francorum regno conſidentem, Galli nunc Vaſcones, nunc Baſchas appellant, vulgus *Gaſcons*, vel *Baſques*. Nam trium literarum B, G & V ſimplicis, atque etiam duplicis vv, crebriuſcula fit à vitijs labiorum in ſeinuicem alternatio. Quamobrem Viſcainorum, Vaſconum, Gaſconum, Baſcharum gens, eſt eadem, & linguæ vnius: quanquam diuerſis nunc regnis attributa. Fortaſſe hi ſunt quos Plinius Vacceos dixit: nam & nomen & ſolum ſatis alludunt.

De Germanis Ciſrhenanis, etiam diuerſo à Gallis ſermone. Cap. XIII.

PRAETER EAS, quas dixi, nationes, quæ dudum vel pari, vel diuerſo nunc eloquio, Gallias obtinuere, ſedent & in Gallia diuerſo à Gallis ſermone, Germani, qui Ciſrhenani vocantur. Hi quondam, traiecto Rheno, late ſecundum citeriores Rheni ripas effuſi, ab Alpibus vſque ad inferiora Rheni oſtia, quibus Oceanum influit, omnem Galliæ oram obiectam Germaniæ inſederunt. Inter eos ſunt Veragri, Seduni, Heluetij, pars Sequanorum, Treueri, Leuci, quos hodie Luxemburgos vocãt. Eburones, Aduatici, & VVeſtphali, id eſt meridionales Galli, ad inferiora regni oſtia pertinentes. Cõſueuerant quippe olim Germani, Gallicorum cum morum, tum agrorum amœnitate illecti, crebris agminibus Rhenum tranſire. Quorum feritatem & audaciam, niſi Cæſaris aduentus repreſſiſſet, qui Heluetios, Arioiuiſtum, & Theucateros Gallia depulſos, in ſuas ſedes redire coegit: decreuerant tum Germani pulſis Gallis, magnam ſuæ gentis portionem in Galliam transferre: futurúmque erat vt id Gallia à Germanis pateretur, quod dudum Britannia, Italia, & Hiſpania à Gallis perpeſſæ ſunt: quæ crebris Gallorum eruptionibus, inuitæ ſedem dedere. Maritimam Britanniam quõdam totam à Belgis inhabitatam fuiſſe ſcribit Cæſar. In Hiſpania, Galli Celtæ, Celtiberos, Portugalos, & Galecos condiderunt. Trans Alpes eam

Galliam enim quam Romani Ciſalpinam vocant, tenuere Galli, eiúſque vrbes condidere. Et quid igitur mirum, ſi Gallicum ſolum, quod olim tantis patuit eruptionibus barbarorum, nūc ſit labio & idiomate varium? Nec minus ſi Gallica lingua nunc cernitur eſſe promiſcua, vt in qua plurimæ ſint voces, quas Latinus hodie ſermo ignoret, & à ſe profectas neget.

Origo & etymologon Gallicanarum quarundam dictionum. Cap. XV.

QVANQVAM autem nulla prorſus lingua ſit in ſeipſa vna (Nam & tēpore, & à permodica loci diſtantia, mox hominum adulterantur labia) minor tamen eſt diſtinctio ſermonum & linguarū à ſolo temporis & loci diſtantia proficiſcens, eâ diſtinctione linguarum quam affert diuerſitas populorum, nulla originis cognatione confinium. Gallorum diſtinctū quidem eſt in ſeipſo labiū: ſed latius id à Germanis longe, quàm in ſemetipſo diuiſum. Germani quaſdā quidē habēt voces à Latinis profectas: Galli lōge plures, tametſi in multis, eorū lingua, ob eruptiones, ſicuti diximus, barbarorū, ſit à Romano eloquio diſſentanea. *Her* Germanica lingua, domin⁹ eſt: quæ vox à Latina dictione herus originē habet. *Kaes* item à Caſeo, *Glaz* (quod apud eos vitrum ſignat) à glacie. Nam vitrum ſimile eſt glaciei. *Nacht* etiam à nocte. *Eſch* ab *eſca*. Quia autē immēſum nobis exurgeret volumen ſi recenſendæ iſtic forent hæ voces, cuiuſvis linguæ quæ vel Latinam redolent originem, vel Græcā: ideo hic ſuperfluo parcentes labori, paucas ſub cuiuſdam tabulæ ſpecie apponemus.

Syre Gallica dictio, originem Græcā habet, non Latinam. Orta enim eſt à Græca voce κύριος, quæ dominus eſt.

Segneur vel *ſenieur* vox Gallica, a Latina voce ſenior, in vulgi vſum venit. Nam quōdam ſeniores, cæteris præeſſe, & in conſilijs adhiberi ſolebant. Sed poſteris adiecta incaſſum litera g, ſcribentes *ſegneur* pro *ſenieur*: pene eius vocis originem offuſcarunt.

Chere, vox hodie in vſu omnium Gallorum (qua hilarē, aut hoſpitis, aut in conuiuijs diſcumbētium vultum, necnon & pinguia interdum, ac lauta conuiuia innuūt) originē habet Græcam à dictione χαίρε, id eſt aue. Quia enim in prima occurrentiū hoſpitum, aut amicorū ſalutatione, notantur in vultu manifeſta aut hilaritatis, aut mœſtitiæ ſigna: hinc inter Gallos hic loquēdi modus inoleuit, *Bonne chere*: *Mauuaiſe chere*.

Sagette, à ſagitta, Latinam habet originē. Sed *flecbe* eiuſdem ſi.

gnificationis vox, à Græca voce φλέγω, id eſt ardeo, in vſum Gallorum venit, quòd ſagittæ interim nimia velocitate ignem concipere, & in ſublimi aere ardere viſæ ſunt.

Diſner & Souper, Gallicæ voces meridianam & ſerotinam refectionem ſignãtes, Latinam originẽ habent. *Diſner*, à die, vel à diurno dicta eſt, quaſi *diesner* vel *diurner*. Nam diurnũ, victus eſt vnius diei, quem mercenarij & manuoperarij, totius diei labore, vt viuant, emercantur. *Souper* à ſopore, quòd paulo ante noctis ſoporem veſperna capiundo ſomno vtilis ſumi ſolebat.

Marſuin piſcis, quaſi maris ſus.

Maiſon, quaſi *manſion*, à manſione.

Logis & lugar, à loco.

Riens à re, originem habet Latinã. litera enim E, ibi in ie frãgitur: ſicut in hac dictione pes, *pied*: mel, *miel*.

Meſtier, à miniſterio.

Monſtier, à monaſterio.

Laſche vulgo, id eſt remiſſus: à qua & *laſcher*, & *laiſſer*: quod eſt ſoluere & dimittere: pendet à verbo Laxo, quod eſt ſoluo & intermitto.

Priſon quaſi *prehenſion*, à prehẽſione. *Chartres* vero à carcere exorta eſt, ſicut *charter* à chartis, id eſt ſchedis.

Page, id eſt famulus, à pago: quia olim à pagis & villis emi ſolebant famuli. Itidem & *compagnon*, quaſi cõpaganus, & ex eodem pago.

Varlet, à verna, quaſi vernet, verſa n in l, quod ſæpe & in pluribus fit.

Trou, id eſt foramen, à terebro.

Riez qui ſunt agri inculti, à rure.

Aler, ab ambulo, quaſi *ambuler*, detruncatis m & b.

Feu qui eſt ignis, à foco quaſi *fou*: quòd in foco fiat. Nam Galli vulgarem non habent vocem igni reſpondentem.

Copper, quod eſt ſcindere vulgo: manauit à dictione græca κόπις quæ eſt ſecuris qua ſcinduntur, ſecanturve ligna. Nam & Romani, hominum capita ſecuri detruncabant.

Net, id eſt mundus, à nitido pendet. *Ort* contraria, ſed barbara dictio, Latina origine caret.

Cloque vulgo cãpana, à coclea manauit, quaſi *cocle*. vitio enim labiorum prælata eſt litera l, & poſita in prima ſyllaba, quæ debet poni in ſecũda. Nam campanulæ exiguæ, quas Latini tintinabula, vulgus *cloquettes* vocant, inſtar teſtudinũ & coclearũ, concutæ

& teretes fiunt. Ab his ergo, maiores etiam campanæ vulgo Belgarum *cloques*, à Francis *cloches* vocantur. Nam & tumores aquarũ, vt ventoſæ bullæ, & in hominibus turgentes veſicę, vulgo noſtro *cloques* appellantur.

Coup, qua voce Galli frequenter, & in pluribus vtũtur: tracta eſt à voce *coper*, & à Græca voce κόπις, id eſt à ſecuri. vt, *Il la cope dung bean coup: Il a ben ung bean coup.*

Mechant, qua voce Galli abutentes, virum interdum inopẽ, interdum iniquũ, doloſum, & infœlicem effantur: originẽ Græcam habet ἀπὸ τῆς μηχανῆς, id eſt ab inuentione, quæ artium origo fuit: quia hi qui mechanicis artibus inſeruiunt, ſeruili conditione viuant, & interdum inopes ſint, & per inopiã nonnunquam etiã doloſi, iniqui, miſeri euadant.

Satis hactenus in paucis luſimus, edocturi Gallicam linguam, nonnulla à Græcis, plurima imò bonã ſuarũ vocum partem à Latinis habere. Habet item innumeras à barbaris voces, nihilo Latinæ linguæ alludentes: quas iſtic modo recenſere, caſſæ & ſuperfluæ operę ſit. Nam cum poſtea ex toto Latino abecedario ſingillatim literas ſingulas percurremus, haud forte deerit occaſio, plura quæ nunc ſicco pede, & penſili calamo præterimus, ſuo loco recenſendi.

Quantæ ſint inuerſiones vulgarium labiorum in explanatione latinæ vocis Ita. Cap. XVI.

PRIVS autem quàm in ipſum alphabetũ, ſiue abecedarium noſtrũ, longius hinc abeuntes ingrediamur, ſingularũ per ſeipſas inſpecturi literarũ vim: qua à vitijs labiorum per locorũ diſtantiã, hæ in ſe facile demutẽtur, vtile fuerit vnũ ſaltẽ iſtuc exẽplum afferre, quod in re modica & in exiguis vocibus, edoceat iuxta locorũ & regionũ interualla, latiſſimã intercurrere plebeiorum ſeu vulgarium labiorũ maceriem, quæ varium loquendi modum conflet. Sumemus autem exempli gratia, Latinas quidem dictiones tantũ duas, Ita & Non: quibus cõtrariã Latini ſignificantiã tribuunt: huic negandi, illi affirmandi vim adſcribẽtes. Hæ igitur voces duę Ita & Non, in ore peritiorũ omniũ, & latine dicẽtium, eodem prorſus ſe modo habent, nec vllam ſuarũ literarũ aut detruncationẽ aut immutationẽ ſentiũt: alioqui nequicquam latine dicerent, ſi qui aliter eas, quàm ſunt, è labijs promerent. Excutio vero iam nunc eas, ob rem peritiorũ & latine loquentiũ, in os & labia imperiti vulgi: & mox admiror quanta illico in expromẽdis ambarũ ſignificãtijs mihi oboritur

à diuerſitate nationum ſectio, varietas, & inuerſio labiorũ. Flandri & inferiores Germani pro ita, vulgo ſuo fantur *Ia* per i vocalem. Superiores Germani, vti qui ſe nunc Heluetios vocant, dicunt *Ioth*. Lothoringi, ſuperiorum Germanorũ vicini dicunt *Ay*. Burgũdi, finitimi Lothoringis, *Oy*. Auxitani vel Auſci, quorũ regio vulgo in tota Gallia, ab aſſerendi modo *Languedoc* nuncupatur, *Anc* & *oc*. Pictones *Ouan*. Pars Belgarum, vti Ambiani & Perones *Ou*: per v, vocalẽ Samarobrini Laudũni & Eſſui, quorum regio gallico nunc vulgo *Tereſſe*, id eſt terra Eſſuorũ, *Any*. Parrhiſij, *Ouy*. Hiſpani, *ſi*. Hannones, *An*. vbi obiter aduerte regionem Hannonum vulgo *Hinau*, vel *Hainau*, ab eorum affirmandi modo, præſentaneum nomen habere, diſtincta quidem (vicinarum gentium iudicio) eorum regione, in qua affirmãtes fantur *hinau*, a vicina regiõne noſtra, in qua famur *hin any*, quod eſt, certe ita. Nam dictio *hin*, quandam in vulgo noſtro iuſiurandi vim habet ac ſi diceret quis; *Sainct Iehan any*. Eſt enim vocula *hin* detruncatio quædam huius dicti *Sainct Iehan*. quod diuturnitas temporis, & labiorũ vitia peperere. Liquet igitur quantus ſit circulus, quanta inuerſio plebeiorum labiorum, à loci diſtantia naſcens, in explanatione exiguę Latinę vocis Ita: quę in ore viri Latini nuſquã obliquaſcens, vnica & indiſtincta manet.

Diuerſitas labiorum in ſignificatione Latinæ voculæ non. Cap. XVII.

RVRSVM pari pacto rimemur contrariam illi voculam Non: quàm multiplex inquã ſit illius ſignificãtia in ore vulgi. Superiores Germani, nonnihil negaturi dicunt *Nit*, alij *Nyit*, quidam *Neyt*: Parrhiſij & Franci Latinæ voci prorſus conformes, fantur *Non*. Ambiani & Morini *Nennin*: Narbonẽſes *Nen*: Samarobrini, Laudũni & Eſſui, *Nain*: Hannones *Nient*. Alij deinceps nonnulli nobis ignoti diuerſis quoque eam ſonis & characteribus varijs, à diſtantia & horoſcopo locorum, eius ſignificãtiam, incaſtigatis labijs modulantur. Docuimus igitur in exigua & humili lance, duarum Latinarum vocum, Ita & Non, quæ in ore Latine loquentium ſuã vbique ſeruãt amuſſim, quantos anfractus, quot circulos, & cuiuſmodi inuerſiones literarum & ſyllabarum, diſtantiæ locorum, & vitia labiorum pariant. Quę quidem exempli cauſa, redegimus in hanc tabulam.

Differentiæ ſignificationum Latinarum vocum, Ita & non.

Latini	Ita.	Latini	Non.
Flandri	*Ia.*	Germani	*Nit.*
Heluetij	*Ioth.*	Germani	*Nyit.*
Lothoringi	*Ay.*	Germani	*Neyt.*
Burgundi	*Oy.*	Parrhiſij	*Non.*
Auxitani	*Au: oc.*	Ambiani	*Nennin.*
Parrhiſij	*Ouy.*	Narbonenſes	*Nen.*
Pictones	*Ouam*	Samarobrini	*Nain.*
Ambiani	*Oue.*	Hannones	*Nen.*
Lauduni	*Auy.*	Pictones	*Nenau.*
Hannones	*Au.*		
Hiſpani	*Si.*		
Vaſcones	*Aia.*		

Non ſolum à diſtantia locorum, varias effici hominum voces, ſed & eorũ complexiones immutari. Cap. XVIII.

POSSVMVS & iſtud idem experiri in alijs etiã permultis vocibus linguæ Latinæ: quæ quanquam in ore Latinorum recte ſedeát, mox tamen, vbi hæ in indoctæ plebis labuntur ora, in ſcribligines, & ſolœciſmos à diuerſitate regionum diſpeſcuntur. Ecquid miraculo eſſe debet, à modica & puſilla locorum diſtantia, variari hominum labia, diuerſamque illico effici vulgi linguam, cum etiam periclitemur ab ea diuerſam quoque aliquo pacto effici hominum naturam, complexioneſque & mores diuerſarum nationũ inde diuelli? Sicut enim locus quilibet ſub eadem cæli ſphæra proprium orizontem, & ſuũ zenith habet, ita & loco cuilibet ſuus ſpeciatim horoſcopus ex varia cæli qualitate, & influentia reſpondet, qui linguam, mores, affectus, & vniuerſos corporis habitus, in hominibus immutet. Exemplũ huius rei præſto eſt, Cum Carthagineſes è Tyro, Elyſſa duce profecti, vrbem ſuam in ſolo Aphrico condiderunt, quia primo in quo foderunt loco, inuentum ſub terris bouis caput, eos, conſulto oraculo, docuit futuram quãdam gentem deſignari pinguem, ſed alieno ſub iugo ſeruientem: tum ſeruitutem, licet opulentam pertæſi, in eo loco vrbem condere noluerunt. Mox autem, vicino in loco fodientes, inuento capite equi, & oraculo edocti, bellicoſam in poſterum gentem portendi: ibi ſedem, ſtructis ſuæ vrbis mœnibus fixerunt. Maluerunt enim in inopia aut dominari, aut eſſe liberi, quàm inter diuitias alieno iugo ſubdi: maluerunt equi

eſſe, quàm boues. docet id exēpli, à permodica locorū diſtantia, naturā quoque gentis, ſub dominātis horoſcopi inſtellatione, effici variam. Queſtus eſt ſæpe Hannibal, haud alia cauſa, quàm ex demutatione loci, ſolitæ quoque victoriæ fortunā à ſe vultū auertiſſe, & Romanis totiens à ſe victis, arridere cœpiſſe: vt qui cum in Italia Romanos vincere ſoleret: vbi in Aphricam rediijt, nunquā deinceps victoria potitus ſit. Poſt Cannenſem cladem, territi imminente Hannibale, exangues & exhauſti viribus Romani, Veios demigrare, & eo conflictatum reipublicę ſtatum transferre cogitarunt, niſi armatus Scipio id fieri inhibuiſſet: admonens haud aliā, quàm Romanæ vrbis ſedem, & fato & voluntate deorum, in caput totius orbis ſibi promitti. Nam & cū Capitolium conderetur, inuentū pro fundamentis hominis caput, futuræ monarchiæ ſpem Romanis ab oraculo præcinuit. Sic inuenta ſub terris in ſtruendis duarū clariſſimarū vrbium fundamentis duo capita, equi & hominis, ingentia duo imperia, Carthaginenſe & Romanū, cecinerunt. Quæ diu inter ſe, vario marte conflixere: ſed hominis capiti quippe præſtātiori, ignobilius equi caput, quāquam bellicoſiſſimū ceſſit, & inuitum hoſtili paruit iugo. Refert Iuſtinus Perdicam, vetuſtiſſimū quendam Macedonū regem, Argeo filio monſtraſſe locū in quo condi vellet: ibique non ſua tantum, ſed etiā ſuccedentiū ſibi regum oſſa poni iuſſiſſe: præfatum quoad ibi conditæ poſteriorum reliquiæ forent, regnū in familia manſurū. Creduntque hac ſuperſtitione extinctam in Alexādro magno regiam ſtirpem, quia moriens, in Babylone, & ſepultus in AEgypto, ſepulturæ locum mutauerit. Satis ſint nunc iſtiuſmodi exempla, quibus ſuademur cuique regioni & loco, ſuum à cælo imminere horoſcopum, quo non modo hominum linguæ diſpeſcantur, ſed & (quod longe maius eſt) qui hominum complexiones, habitus, moreſque variet.

De literis Latini abecedarij ſiue alphabeti: & primum de quinque vocalibus. Cap. XIX.

R IMEMVR nunc obiter literas Latini abecedarij, ſiue alphabeti: præſertim vt inter conſonantes, ſub lance & oppoſitione mollitiei ac duritiei, quātos incaſtigata vulgi labia conflent globos & anfractus, introductis ad id vtilibus exemplis noſcamus. Sed primo de vocalibus literis, quæ præſtantiores omnium ſunt, & vt quædam conſonantium animæ, breuis præmittendus eſt ſermo. In Latino alphabeto vocales ſunt quinque, A, E, I, O, V. Quæ ſolæ & per ſeipſas, labia noſtra cient, ſpiritúmque & prolationē vocis habēt. Cæteram, præter eas quinque, literarum turbam, Latini conſonantes vocant: quòd hæ, haud

per ſe ſonent, ſed duntaxat annexę vocalibus, perinde atque corpora iuncta animabus: integras aut ſyllabas, aut dictiones conflent. Inter vocales differentia prorſus eſt nulla mollitiei & duritiei. Nam hæ, nec molli nec dura labiorũ colliſione, aut cõtra ſe depugnant, aut vocẽ variant. Differentia mollitiei & duritiei ſolis conſonantium literarũ agminibus eſt attribuenda, quæ earum ſeorſum duas & duas, in lance cuiuſdam oppoſitionis, eregione & ex aduerſo ſuiinuicem ſiſti iubet. dignũ profecto animaduerſione & ingenti miraculo iſtud eſt, quòd cũ vox ſit præcipua & potiſſima qualitatũ, ab ſola anima, & famulante illi corporis organo proficiſcens, voluerit nimirum, ſanxeritque deus, in vniuerſo alphabeto, literarũ omnium ordines cõplectente, naturam & typum repræſentari animæ & corporis, vt qui in vocalium ſpecie, quæ neque molles, neque duræ ſunt, latentium & inuiſibilium animarũ figuram expreſſerit: in conſonantibus vero (mollitie & duritie inſtar corporum, contra ſe diſtinguendis) lucida & aperta corporum ſignacula, declarari ſtatuerit.

De litera A, vocaliũ, & literarum omniũ prima. Cap. xx.

NVNC de cunctis ſingillatim literis dicendum. Et ab litera A, vt quæ & vocaliũ, & literarũ omnium prima, inchoandum. A, in vniuerſo literarũ abecedario, prima & in Latino ſermone & in vulgaribus linguis, æqualem & quàm iuſtiſſimũ habet ſonũ, qui nec in initio, nec in medio, nec in fine dictionis varius ſit, præterquã cum, & quotiens in medio dictionis, vocales duas I & V, & conſonantes item duas M & N, abſque media litera antecedit. Ibi enim pauxillum ſonus illius abſorbetur, nec vſquequaque integer editur. A ante I, *Iaymeray*, *Iray*, *nerray*. A ante V, Aula, Laureus, *Fauueau*. A ante M, Mãma, *Chambre*, *Ambre*. A ante N, *Chant*, *Chanſſon*. in his enim ſonus literæ A, virtute ſequentiũ vocaliũ I & V, & liquidarũ conſonantiũ M & N, penè abſorbetur: cum id minime patiatur quoties cæteras vel vocales, vel conſonantes anteit. Cuius rei exẽpla lector & in Latina, & in vulgari quauis lingua facile diſquiret. Accidit tamen in vocibus Latinis, vt A ante E, ſicuti & ante I, & ante V, diphthongũ creãs, abſorbeatur in literam E, vt Muſæ, *muſe*. Sed hoc in opere, cũ vulgari potius, quàm Latinæ linguę noſter ſermo famulaturus ſit, ideo vulgaribus exemplis peramplius immorari placebit.

De litera E, vocalium ſecunda. Cap. xxi.

E LITERA vocalium ſecunda, ſono quidem varia eſt: ſed in Latinis vocibus minus, in vulgarib⁹ amplius. In vulgari enim ſermone trifariã, in Latino bifariam reſo

nans, prodit ab ore litera E. Et cũ in iſtis ratio pene nil proſit, exemplorũ vi melius agenda ſunt omnia. In his enim dictionibus, ſequere me, litera E, integrũ perfectúmque ſonũ habet. In hac autem dictione (pertinet), ſonus literæ E, paulo exilior auditur, vt qui virtute ſequentiũ conſonantiũ R & T, pene abſorptus, ſonat dimidius. In dictione hac, (refert) E duplicẽ ſonum habet. in A prima quidem ſyllaba re, integrũ: in ſecũda (fert) dimidiũ & imperfectum. Quotiens enim E, finis eſt aut dictionis aut ſyllabæ, tum integro exauditur ſono. Cũ vero illam ſubſequitur in ſyllabæ vnitate aut vocalis V, aut liquidæ conſonantes: vti in his Eu, Et, vel, Res, Sed, Mel, Fel, pertinet, pellex, perferret, tum imperfecto dimidiatóque ſono, litera E aures ferit. In vulgaribus autem linguis ſonos habet litera E (quos iam diximus) duos, integrũ & dimidiatũ, & inſuper tertiũ exilem, qui in Latinis vocibus prorſus nõ cadit, nec in Romano ſermone vſquam exauditur. Vt accidit in hac vulgari ſententia, *Il eſt acheue,* id eſt, *Il eſt parfaict:* trifariam ſonat E, ſemel quidem in dictione *eſt.* Aliter in medio dictionis *acheue:* & rurſum aliter in eius fine. Itidem in oratione *Ie parle,* alius eſt literæ E ſonus, ab ipſius ſono in oratione temporis præteriti, *Iay parle:* id eſt locutus ſum. In dictionibus *chambre* & *chambriere:* habet E litera ſonũ quem nuſquam in vocibus Latinis exaudimus, & qui in rhythmicis etiã orationibus, in quibus parilem ſoni incidentiã obſeruare iubemur, etiã longe rhythmos variet. Alius etenim imitandus eſt rhythmus qui quadret præſentaneæ orationi, *Ie ſoupe.* Et alius qui ſit par præteritæ orationi, *Iay ſoupe:* ob ſolam diuerſitatẽ ſoni literæ E. Quæ vbique in fine verbõrũ præſentis temporis exilem ſonũ habet quem diximus Latinis vocibus prorſus fore impertinentem, & nuſquam in ſermone Romano exaudiri. In exitu autem & in fine verborũ temporis præteriti, E, forti, integro & perfecto ſono aures pulſat. In his enim, *Il ma tue, Il me tue:* longe eſt varia colliſio literæ E: illic quidem ob præſens tẽpus, exilis: iſtic, in præteriti tẽporis verbo, integra & perfecta. Et inter ſimplicia nomina & participia accidit iſtud idẽ, *Iay mal en ma teſte, Ie ſuis enteſte: Iay pris du balme, Ie ſuis embalme: Ie vitupere, Ie ſuis vitupere.* Habet & aliud quiddam litera E, ſcitu forte non indignum: quòd cum à dictione Latina cadit in vulgarem vocem, ſaltem ante finẽ dictionis, perſæpe ipſa molleſcit, frangitúrque in *ie.* vt, Sedes *ſiege.* hedera, *hierre:* Cereus,

cierge. Pedica, *piege*. Pes, *pied*. Deus, *dieu*. Res, *rien*. Meum, *mien*. Bene, *bien*. Lætus, *liet*. Mel, *miel*. Fel, *fiel*. Cælum, *ciel*. Idque Hannones nobis vicini, in pluribus quàm cæteri Galli obſeruant: vt qui dicant, *Me tieſte*, *No fieſte*. Cum cæteri dicant Galli, *Me teſte*, *No feſte*. Ambiani in litera E, id vitij habent, vt quotiēs hæc in fine dictionis ceciderit, tam in Latinis vocibus, quam etiam in ſermone vulgi, vix norint cauere quin eâ reſonent in ſono diphthongi ai, vt domine, *dominai*. *Moullie*, *moullai*. Adeo ludit cæli horoſcopus in variandis hominum labijs, vt etiam in Veromāduis, quos inter natus ſum, facile diſcreuerim, è duobus quibuſlibet viris, in ſola prolatione literæ E, vel in ſono diphthongi ai, quiſnam amborum ſit Quintinenſis, & quis Peronenſis, ſi vtrique dicere conuenerit duntaxat Pater noſter, Aut iſtud, *Ie iray*, *Ie le feray*, Acutius Peronenſes, obtuſius Quintinenſes, ſeu Samarobrini, prædicta effantur. Cum tamen à Perona, non amplius quam quatuordecim millibus paſſuum vrbs Samarobrina abſit. Non tacuimus Ambianorum vitium erga literam E, in fine dictionis cadentē. Nec prætereundum etiam fuerit vitium Veromanduorum: quod ſub litera E, in fine dictionis, tam Latine quam Gallice, ipſi vix effugiunt. Omnem enim dictionem quæ finem facit in litera E, finiunt in præcedenti conſonante: & vice verſa eam omnem quæ in litera conſonante, exitum habet, finiunt in adiectione literæ E. Quod & Itali in ſuo ſermone faciunt. Addunt quidem in fine literam E, voci eam non habenti: detruncant eandem ab habente. Et quod turpius eſt, ne in Latinis quidem vocibus, ab eius vitij lue pueri & mulieres & indoctum vulgus abſtinere nouerunt, vti in his apparet, Ete, Vele, Sede, Dominuſſe, Spirituſſe, Caroluſſe, Tædete, Debete. pro his, Et, Vel, Sed, Dominus, Spiritus, Carolus, Tædet, Debet. In his etiam, *Coure*, *Foure*, *Toure*, *Conſeille*. pro *Cour*, *Four*, *Tour*, *Conſeil*. Et ex aduerſo in iſtis literam E detruncant, *Oreil*, *Oſeil*, *ueil*, *teſt*, *feſt*, *couſt*, *pentecouſt*. pro *oreille*, *oſeille*, *ueille*, *teſte*, *feſte*, *couſte*, *pentecouſte*. Id quidem vitij, ſoli peritiores, caſtigatis labijs, cauere didicerunt.

De vocali I. Cap. XXII.

VOCALIVM literarum tertia, interim conſonans eſt.
I ſed de ea, vt conſonante, poſtea in conſonantium ordine ſuo loco dicemus. Nunc de ipſa, vti vocali, modicus eſt faciundus ſermo. I vocalis, in omni dictionum quarumlibet loco, id eſt, & in initio, & in medio, & in fine, perfectum & integrum habet ſonum, præterquam ante liquidas M & N, quoties

ſaltem vnicam cũ eis ſyllabam conflat. nam tum, virtute ſequentium liquidarum M & N, pene abſorptus eius ſonus, ab integro & perfecto cadit in dimidium. Vt in his, Fimbria, Findo, Imperfectum, Ingenium, *Mutin, Hutin, Butin.* Quotiens etiam vocalis I, vocales tres ſubſequitur A, E, O, & cum eis integram conflat ſyllabam: tum in exiguum & imperfectum ipſa cadit ſonum: vti in his, *Iay, Ay, Feray, Iray, Cõſeil, Soleil, Pareil, Veille, Oſeille, Roy, Voix, Roiſin, Voiſin.* Cum autem vocalis I, ſuccedit vocali literæ v, tum nec ſonum amittit ſuum, nec eandem cum ea ſyllabam conficit: quãquam interim prolatio ambarum fiat velut vnius tantum ſyllabæ: idque & in Latinis vocibus, & in vulgaribus accidit. in Latinis quidem, vt in his, Cui, huic: quas etiam Latini in carmine pro monoſyllabis effantur. Vt ibi in carmine Lodouici Bigi poetæ; Cui ſemper fuerint integra conſilia. Et rurſum in hoc verſu, Huic diuinus erit cõciliãdus amor. In vulgaribus vero, vti in his, *[illegible]yt, Cuyt, Muyau, Tuyau, Truye, deſtruyt.* In iſtis autem Latinis vocibus, fuit, luit, ruit, pluit: vtræque vocales V & I, integrum ſonum recipiunt, dictionésque diſſyllabas conficiunt. Cum autem I præcedit V, vt in hac, diu: ibi vtraque vocali ſuum recipiẽte ſonum, diſſyllaba dictio fit, ſaltem in carmine. quanquam in oratione ſoluta penè ab oris celeritate, abſorbeatur litera I, & videatur monoſyllaba dictio fieri. Cum autem I præcedit ſeipſum, vt in his, ij, dij, obijt: tum & in carmine, & oratione ſoluta ſonus accidit velut vnius tantum literæ I, & vnius ſyllabæ. Mantuanus, Picus Iohannes, cælos, elementa, deúmque Doctus, adhuc iuuenis, ſanctificatus obijt. Hæc de vocali litera I. Nunc ad vocalem o, tranſeamus.

De quarta vocali O. Cap. XXIII.

QVARTA vocalis, nuſquam promiſcua eſt, vt aliquãdo conſonantibus annumeretur, cum nunquam non vocalis ſit. Habet autem integrum vbique, perfectúmque ſonum: præterquam cum liquidas duas M & N, antecedens, vnicam cum eis conficit ſyllabam, vti in his, ſomnus, rhombus, compello, committo, congero, conſlo. Et in his vulgaribus, *homme, ſomme, comme, ſonne, tonne.* Ibi enim fit, ſicuti in cæteris vocalibus fieri monſtrauimus, vt virtute ſequentium conſonantium M & N, ſonus literæ o, ſemiabſorptus à perfecto ſono, redeat in dimidiatum. Cum etiam vocalis o, anteit vocales tres, E, I, & V, tum interim ſonus illius, aut totus, aut dimidius, in diphthongo abſorbetur: vt in his Latinis Mœnia, Fœnũ. Et in his vulgaribus,

Roy, Foy, Iour, Tour, Tout. In his autem, Soloeciſmus, Coſdroë, tum litera O, diphthongum non creat, ſed integrum ſonum habet. In Latinis vocibus nuſquam comperias O vocalem, ante vocales I & V, vnicam conflare ſyllabam. quod tamen & in Græcis & in Gallicis vocibus crebriuſcule experiere: Cum inter Græcos υ pſilon, ſequens ο micron, ſonet plerunque vti diphthõgus ou: vt ibi, ἀπὸ του.

De vocali litera V. Cap. XXIIII.

V LITERA eſt promiſcua, interdum quidem vocalis, interim conſonans. Linquemus nunc hanc vt conſonantem, de qua ſuo dicturi loco ſumus: de ea, vt vocali, nũc pauca referemus. V quotiens vocalis eſt, nuſquam ab integro labaſcit ſono, præterquam (ſicut dictum cæteris in vocalibus eſt) cum liquidas anteit M & N, vt in his tumba, ſumma: tundo, fungus, funda. Ibi enim eius ſonus paulo abſorptus ab liquidis M & N, dimidiatur. Cum etiam præmittitur vocalis V, vocalibus cæteris: tum apud nonnullos, vti apud Gallos, ſine ſono præteritur V: apud vero Italos & Germanos, illius prolatio clare exauditur, vt in his, Lingua, Iniqua, Que, Qui, Quod. Et cum itidem vocalis V, tribus poſtponitur vocalibus A, E, & O: tum ſonus illius, in has diphthongos liqueſcit, Au, Eu, Ou. Vt in his, aula, Rheuma, *Tour, four*. Nam Latinis dictionibus nuſquam cõperit ſonus diphthõgi ou, quæ in Græco ſermone, & vulgaribus in linguis perfrequens eſſe ſolet. Latini interdum promiſcue, litera O pro V vtuntur: Vti in his, Iucundus, Ludouicus, Iudocus: cũ ſæpenumero & pronuntient & ſcribant, Iocundus, Lodouicus, Iodocus. Itidem ſæpe accidit, vt O, à Latina dictione cadat in vulgarem vocem *ou*: vt in his, voluntas, nos, vos, totum: *voulunte, nous, vous, tout*. quo vitio plurimum ſuperiores Galli, vt Aurelij, Turones, & Andes laborant, qui Gallicas pleraſque voces, quas per O ſimplicem effamur, per ou eloquũtur: vti in his, *choſe, chouſe: Ioſſe, Iouſſe: Gros, Grous*. Non minus ſæpe V latinũ, in *ou* vulgare recidit: vt in his, Turris, Curia, Curſus, Vrſus, *Tour, Cour, Cours, Ours*. Idque & Itali & Germani in Latinis vocibus factitant, quibus litera ſimplex V, ſonat vt diphthongus ou. Sed iam tempus ingruit vt quinque vocalium in ſe demutationem, à vitijs labiorum in vulgo contingentem, parumper inſpectemus.

Mutationes vocalium vnius in aliam, in vulgari lingua Gallorum contingentes. Cap. XXV.

ANTEQVAM demutationes in ſeinuicē perſpiciamus vocalium, meminiſſe lectorem iuuet, A & E, velut primates literarum omnium, maſcula & fœminina, contra ſe proprietate diſtingui. A etenim, velut robuſtior vox, maſculorum infantum vagitui ſolet attribui: E, velut exilior, vagiēti fœminæ infanti concedi. Nam & primorū nomina parentū, vulgo harum duarum vocalium, geminata ferunt inſignia Adam, Eue. Infantes quoque teneris adhuc labijs, ſuos parentes & progenitores ſuos, his affari vocibꝫ diſcunt, *Papa*, *Men men*. A quibus Latini, deduxere verba papare, Mammare: & nomina Papā, id eſt eſcam puerorum: & Mammam, quam clamitantibus *Men men* infantibus, exhibere ſuggēdam piæ matres ſolent. Parrhiſiū vulgus, niſi ſolicita animaduerſione vitia labiorum caſtiget, ſæpenumero in literis A, & E, & loquens & ſcribens oberrat: idque & in Latino & in vulgari ſermone accidit, Amans pro amens, & vice verſa, Amens pro amās. *Anfens* pro *Enfans*, *Quantin* pro *Quentin*. Germani ſæpe A in O, & O in A, vitio labiorum variant. Audiui eos interim canentes Glaria, & daminus vabiſcū. Ibi A pro O ſonuit. Et oue moria, Ibi O pro A. Sæpe etiam numero, A in latinitate, cadit in o vulgare: vt in his liquet, Fatuus, Maurus, Paulus, Pauper, Caulis, Cauſa, Laus. Quorum vulgaria ſignificata ſunt, *Fol, more, pol, poure, Colet ou cholet, Coſe ou choſe, Los*. Vix autem A in I, aut in V, vitio labiorū obliquaſcit. At vero E in I, & I in E, perſæpe Flandri & Angli demutant, præſertim in fine dictionum, vt ibi, *dont eſti nour*, *Ou ali nour*. Adeo vt minus aduertens, canat Anglus, Adiutoriū noſtrum in nomini domine. E autem in O, aut in V, minus collabitur. Nec I etiam ſolet frangi in V. Aſt & O in V, & V in O, perſæpe vel labiorū vitio, vel loquentiū aut ſcribentiū arbitrio labaſcunt, vti in his Latini faciūt, Ludouicus, Iudocus, Iucundus: Lodouicus, Iodocus, Iocūdus. Itali autē, Germani, & Hiſpani, ſicuti etiā præmiſimus, in prolatione literæ V, lōge à Gallis differre noſcūtur. Nam in labijs Gallorū, ſonat V litera leuis & vt ſimplex, quæ in ore Italorū, Germanorū, & Hiſpanorū ſonat vti vox ou. Deus, dominꝰ, deous, dominous. Quod quidē & noſipſi perſępe facimus, quotiens in Latinis vocibus habētibus in medio v, vertimꝰ v in ou, vt in his, Sub, *ſoubz*. Rubrū, *rouge*. Turris, *tour*. Furnus, *four*. Surdus, *ſourt*. Gula, *goule*. Cucula, *coule*. Cucullus, *coucou*. Significata horum pronominū

Meus, Mea, latam inter Parrhiſios & Picardos per vocales A, E, I, O, differentiam habent. Parrhiſij enim & Franci, omne quod maſculini, aut neutri generis eſt, per vocem *Mon*, ad ſe vulgo pertinere innuunt. Quicquid vero eſt fœminini generis, per *Ma*, vt, *Mon pere, Mon frere, Mon couſin, Mon amy. Ma mere, Ma ſoeur, Ma couſine, Mamye*, quaſi *ma amye*. Picardi autem in maſculinis vtun tur hac voce, *Men* pro *Mon*. In fœmininis, *Me* pro *Ma*. vt, *Men pere, Me mere, Men frere, Me ſoeur*. Itali porro & Hiſpani tam in maſculinis quàm in fœmininis dicunt *Mi*, vt, *Mi padre, Mi madre*. Neruij etiam, præter cæterorum Belgarum cõſuetudinem, in vtriſq; dicũt *Me*, vt, *Me pere, Me mere, Me ſoeur, Me frere*. Sic in ſignificationibus rerum, ad nos pertinentium, quinque voces, *Mon, Ma, Men, Me, Mi*: ludens cæli horoſcopus, diuerſorum hominum labijs infundit. Quin etiam & cuncta fœminini generis nominum ſignificata, quæ Galli finiunt E, in Italis & Hiſpanis deſinere ſolent in A, vt, *Roſe*, Roſa. *Rome*, Roma. *Veniſe*, Venetia. *Grenade*, Granada. Maſculinorum autem aut neutrorum nominum ſignificata, quæ etiã Gallis cadũt in E, Hiſpanis & Italis finiuntur in O: vt in his apparet, *Pierre, Pierigo. Antoine, Antonigo*: nonnunquam *Antonio*: tam varius eſt, & ludibundus in labijs hominũ cæli horoſcopus, vt nullo non vocis ſigno diſtinctas orbis nationes nuſquàm confundi, & non diuerſas apparere patiatur.

De differentia conſonantium literarum, quæ binæ & binæ, contra ſe ſunt, aut molles, aut duræ. Cap. XXVI.

IAM nunc, vt poſt expletum de vocalibus ſermonem, tráſeamus ad cõſonantes, inchoabimus iuxta ordinem vniuerſi abecedarij, à litera b: viſuri cũ qua alia conſonãte hæc in lance & ſtatera oppoſitionis ſiue affinitatis ſit reponenda. Cunctæ enim cõſonantes literæ, hac nimirum ſunt ratione inter ſe diſpertiendæ, vt iuxta proprietatem mollitiei & duritiei, nemo binas & binas cõtra ſe poni, & oppoſitione ac affinitate quadam diſtingui, non experiatur: in qua perſæpe labiorum vitia, inſtar ſtateræ in vtranque partem ſe inclinantis, ab vna in aliam labaſcunt.

De litera B conſonantium prima. Cap. XXVII.

B PRIMA conſonans litera, & mollis eſt & dura. Mollis quidem erga literam P, ſibi confinẽ, ſed ſe multo duriorem. Dura iuxta literã V, velut conſonãntem & molliorem ſe. Harum igitur trium conſonãtium, B, P, & V, conſonantis velut ſono confinium, crebriuſcula fit in ſeinuicem à vitijs la-

biorũ alternatio, vt his in exemplis liquet, Habere, *auoir*: Ebur, *yuoire*. Ebrius, *yure*. Gobio piſciculus, *gonion*. Faba, *feue*. Ibi enim litera B, cadit in V conſonantem, velut in literam ſe molliorem. Verona item, quaſi Brenona, vt volunt à Brenno Gallorum duce cõdita. Cõtrariũ fit in voce Coruus, vulgo *Corban*, vel, *Corbeau*. Ibi enim, v cõſonans, reuoluitur in B. In voce autẽ ceruus, vulgo *cerf*, V cõſonans in F cadit. In dictione pruina, id eſt, *bruine*, P cadit in B. Itidem & in Perna, Heluetiorũ vrbe vulgo *Berne*, P in B, velut in molliorem literã obliquaſcit. Caput, Hiſpani *cabeſſe*: Picardi *caboche* vocãt. Ibi etiã, P tranſit in B. Id quidem vulgare nomẽ Franci nõ habent, qui caput, per teſtã, vulgo *teſte* effantur. In dictione *Queſarſperc* (quæ eſt vrbs ſuperioris Germaniæ, ſita ad radices Cæſarei mõtis, Heluetiam à Lothoringia diuidentis) B mollis litera, dudum trãſijt in P duriorem. dici enim deberet *Queſarſberc* (Nam *Queſar*, Cæſar: *berc* Germanica lingua mons, id eſt mons Cæſaris. Hic pars eſt Iuremõtis: non longe à Rauracis, & Tulegnis: qui vſque hodie in Lothoringia, antiquũ ſeruant nomen: vulgo *Raunin & Toul*. Vrbs vero ipſa Heluetia eſt, quæ hodierno vulgo *Aulſoye*: à qua elegantia veniunt eius nominis vina. Sed Latini eam nunc Elſatiã antiquitatis immemores vocant.

De conſonante litera C. Cap. XXVIII.

C ONSONANTIVM ſecunda in oppoſitione mollitiei, duas e regione ſui ſiſtendas cõſonantes habet, G & Q: hanc quidem duriuſculam, illam ſono molliorem. Cum in iſtis ratio parũ nos iuuet, exemplis agere omnia decet. Craſſus homo Parrhiſiorũ vulgo *Gras*: ibi C in G, durior in molliorem liqueſcit. Quãquam Belgarum lingua Latinitati propior, nõ *Gras*, ſed *Cras*, pro pingui effetur. *Logis, lugar, logier*, à loco dicuntur. Ibi etiam C in G cadit. Itidem in iſtis, Acre, Acutum, Acus, Claudius, id eſt *aigre, aigu, aiguille, Glaude*: C vertitur in G. In dictione autem Caballus, quæ apud Belgas *Queual*: C in Q, mollior in duriorem tranſit. Latini inſuper hodie inter literas C & Q, non vitio labiorum, ſed arbitrio quiſque ſuo, voces ſcripturaſque variãt: vti in his liquet, Cur, quur, Cum, quum, Quotidie, cotidie, Loquutio, locutio. Habet autem litera C, ante literas E & I, ſonũ præ cæteris molliorem: vt in his Cedo, Cepa, Cælum, Cementum, Cœna. Et rurſum in his, Cito, Cimex, Cymber. In quibus quidem, C, quia præmittitur literis E & I, mollius ſonat, quàm quotiẽs cæteras anteit vocales, vt in his, Caput, Co-

lus, Culex. Hic enim C, ſui ſoni proprietatem ſeruat: In illis autem pene in ſonum literæ G, ſonus ipſius molleſcit: quod & ſæpe in orthographia errores parit multorum, G pro C ante E & I, ſcribentium. Accidit etiam nonnunquam vt C Latinū, in Ç vulgare labaſcat: vt in his, Ticinus, qui eſt Inſubriæ fluuius, *teſin.* Racemus, *roiſin.* Vicinus, *voiſin.*

De conſonante D. Cap. XXIX.

D. IN conſonantium literarum ordine tertia, cum ſit ſoni molliſſimi, ſiſtenda eſt exaduerſo literæ T, vti in eadem lance durioris. Cum ſint aſperiora Germanorum quàm Gallorum labia, ſæpe Germanis accidit vt aut literam D in T demutent, aut eam in ſono literæ T pronuntient: vt Tominus pro dominus. Teus pro Deus. Græci quoque θεὸς dicunt, à quo forte, duriore litera T in molliorem D reuoluta, Deus dictus eſt. Patauinum, inſigne Venetorum oppidum, vtriuſque iuris celebre emporium, molleſcente litera T, in molliorem D, vulgo noſtro *Padue* dicitur. *Dunnoirre* hodie in Gallia, nomen cuiuſdā loci in agro Heduenſi, comitatu clari, vulgus vocat *Tonnerre*, verſo D, in T. Hic enim locus quondam à Dunnorige Heduo, Diuitiaci fratre dictus eſt: quem Cæſar ſecundo in Britanniam traiecturus, quia à ſe inſalutato diſceſſiſſet, vt rebellem & redire nolentem interimi iuſſit. In Heduorum etiam agro inſignis eſt alter pagus, vulgo *Diuetian.* Cui Diuitiacus Dunnorigis frater, nomen dedit. Poſſumus autem pluribus exemplis oppoſitioni ac ſtateræ affinitatis literarum D & T alludere: ſed ſeruandæ breuitatis occaſio plura modo iſtuc afferri inhibebit.

De litera conſonante F. Cap. XXX.

F. CONSONANTIVM quarta eſt. Cuius cū oppoſitionem & affinitatem in mollitie ac duritie ſoni diſquiro, reperio multiplicem. Nam P cū aſpiratione, id eſt Ph, parem prorſus, & æque fortem cum litera F ſonum habet, qui nonnunquam etiam in Latinis vocibus orthographiam variet: vt in his, Nefas, Nephas: Fama, phama: Fari, phari. Reſpicit autem litera F, in ſtatera oppoſitionis literam V conſonantem, velut ſibi confinem, ſed tanquam ſono molliorem. Quod inter Germanos crebriuſcule experiri libet: quorū cum ſunt aſperiora Gallis labia, hi, cum minus aduertunt, ſępe literā V conſonantem, in ſono literæ aſperioris F, & pronuntiant, & interim in orthographia errant. Forti enim labio, ferum pro verum: Et contrà, orthograuiam pro orthographiā, eloquuntur: pro molli du-

ram,& pro dura molliorem literam compenſantes. *Feſſer* Gallica dictio à veſſica exorta eſt, transeunte capitali V, velut molliore, in F duriorem. Cum etiam dicimus per vices, id eſt *par foir*: ibi v in f, vitio labiorum obdureſcit. Hinc etiam pepēdit error nominis VVeſtphalliæ, ſeu VVeſtfallię, quam per ph, aut per f, Germani ampſo ſpiritu pronuntiant & ſcribunt, qui & proferre & ſcribere deberent VVeſtvalliam vel VVeſtvvalliam, id eſt Meridionalem Galliam. Eſt enim VVeſtphallia, portio inferioris Galliæ, ad Rheni oſtia pertinentis.

De litera G quinta conſonante. Cap. XXXI.

QVINTA conſonans litera, ſub ratione durioris aut G mollioris ſoni, oppoſitionem (ſicuti iam diximus) habet ad literam C, & interdū ad literam Q. Nam C & Q, ſono duriuſcule, G vero vtraque mollior eſt: vti in his liquet, Craſſus, *Grar*. Grillus, *crinon*. id animal eſt exiguū nocte ſtridēs in camino, in quo etiam, ab ignis calorę gignitur, & leui frigore deperit. Craticula, *Gril, ou la Grille*. Claudius, *Glaude*. In his literæ C & G, velut eiuſdem ſtateræ & ſono cōfines, facile in ſeinuicem labiorum vitio colliqueſcūt. In his autem *bergier*, & *berquier* quæ nunc apud Parrhiſios, nunc apud Belgas paſtorem ouium ſignant, G adulteratur in Q. Hæ quidem voces barbaræ ſunt, nec vlli Latinæ voci reſpondentes: dictæ à Germana voce *berg*, id eſt à monte: quod opiliones, & ouium paſtores, ſæpenumero inter montium ſaltus, oues paſcere, & in eis, ob ouium cuſtodiam, excubare multis in regionibus ſolent. Niſi forte quis velit eas trahi à Gallica voce *berbis*: quam veruex ſignat, trāſeunte v vocali, quæ in capite dictionis ſedet, in literam b: & media V, in G. Habet autem rurſum litera G, oppoſitionem aliā cum litera I, plus conſonante quam vocali. Quod in compluſculis Gallicæ linguæ dictionibus, inter Francos & Belgas experiri libet. vt in his, Sagitta, *ſaiette*: vbi G cadit in I vocalem. Gaudium, *Goie*, *Ioie*. *Gaſpart*, *Iaſpart*. *Gambon*, *Iambon*. *Gambe*, *Iambe*. in quibus G labitur in I conſonantem. Et ex quibus edocemur Belgarum ſermonem, & ad Latinam & ad Græcam linguam, Francorum ſermone, propius alludere. Nam ibi capitales Latinarū dictionum literas Belgæ ſeruant, quas Francorū labia, in I conſonantem variant. *Goie* enim, propius alludit gaudio, quàm vox *Ioie*. *Gambe* etiam vicinior eſt Græcæ dictioni καμπὴ (à qua, verſo C, in G, exorta eſt. Nam καμπὴ flexionem ſignat, tibiarū peculiarem) quàm Francorum vox *Iambe*. Accidit enim inter Francos & Belgas perfre-

quens viciſſitudo ſiue alternatio literarum G, & duplicis VV, vti in his, *Gallon*, VV*allon*. *Guillamme*, VV*illamme*. *Gaultier*, VV*aultier*. *Gantz*, VV*antz*. Barbara eſt hæc vox, Latinis impertinēs. *Gue*, VV*e*, à vado. *Garder*, VV*arder*: etiam vox barbara, à qua tamen Franciſcani, prælatos ordinis ſui, Gardianos appellāt: Niſi dixerimus eam deduci à viſu, & à verbo videre, à quo VV*arder & garder*. *Gaſter*, VV*aſter*, à vaſtando. Denique litera G (ſicuti diximus iam de litera C) paulo ſonat mollius, cum vocales duas, E & I antecedit, quàm cum cæteras tres præit, A, O, V. Sonat enim aſperius in his tribꝰ Gallus, Gobio id eſt piſciculus, & Gula, quàm in vocibus iſtis Gero, Gemo, Gilo, Giſulphus quondam Beneuentanus dux.

De nota aſpirationis H. Cap. XXXII.

H ASPIRATIONIS nota eſt, & ſignum, non litera. Attamen cum ipſa literis adiūgitur, caſſa & inanis non eſt, quæ eliciendū in prolatione ſpiritū inſinuat. Quamobrem & hæc etiam plurimas in communibus hominū locutionibus differentias adfert. Germani (quorum validiora labia voces ipſas, velut ab imo ſtomacho ductas, in aerem excutiunt) in eliciundo hoc ſpiritu aptiores Gallis ſunt. E ſolis etenim Gallorū labijs, vix quiſpiam (aurium ſaltem iudicio) diſcrimen iſtiuſmodi vocum notauerit, Homo, omen: Habeo, Abeo (quæ tamen diuerſiſſimæ ſunt) Niſi confuſo & pene indiſtincto aurium ſenſui ſuppetant oculi, qui ſcripturarum ſpectatores, aurium inopiā iuuent. Scriptas etenim voces, & earum differentias, oculi longe quàm aures certius apprehēdunt. Hinc & plures in auribus, pauciores in oculis, errores obtingūt. Sicuti etiam negauerit nemo, certiorem eſſe ſcribētium manum labijs loquentium: & pauciora in manibus, quàm in labijs committi literarum vitia. Iūgitur autem perſæpe nota aſpirationis H, cunctis vocalibus, vt in his, Hamus, habeo, hebes, hæreo, hic, hymen, homo, hoc, humus, humor. At vero non ſic illico, cunctis cōſonantibus annecti ipſa ſolet: verum vt plurimū ſolis tribus, C, P, T, quibuſcum etiam ſolis, Græcas tres literas conflat, à Palamede (vt volunt) inuētas, χ, φ, θ. Sed cum poſtponitur aſpirationis nota H, literæ T, tum diuerſum ab ea vti ſimplici, ſonū non edit. vt in his liquet, Thamiras (egregij quōdam citharœdi nomen) Tamiras, Cithara Citara, in quibus diſpar non eſt ſonus literæ θ, ſiue th, à ſono ſimplicis literæ T. Quod autem aurium iudicium latet, id facilis & certior oculorum intuitus ſupplet, qui ambarum differētias vo-

cũ apprehẽdit. Cum autem aſpiratio iungitur literæ C, vix etiam in lingua ſaltem Latina, illius ſonũ variat: vt in his Chaos, Chamus, Charitas, in quibus diuerſus non eſt in ore ſonus ab his, Caos, Camus, Caritas: quanquam in medijs ſyllabis placeat nonnullis differentiam Ch, in ſono eſſe faciũdam, vt in his, Michael, Nihil, Mihi. In quibus, quidam aſpirationem h molliter, alij durius, velut in ſono literæ Q, eam pronuntiant. In vulgari autem lingua latum facit in labijs vulgi diſcrimen nota aſpirationis H, adiuncta literæ C. Quod in his experiri dictionibus libet, *champ*, *camp*: *chambre*, *cambre*: *choſe*, *coſe*: *chat*, *cat*: *choles*, *coles*. Quæ quidem dictiones rurſum argumẽto ſunt Belgarũ ſeu Picardorum quos vocant, linguam, eſſe & Italicæ & Hiſpanæ linguæ, Francorum ſeu Parrhiſiorum lingua propiorem, & minus à Latino ſermone degenerem. Nam Latinæ dictiones quæ prædictis reſpondent, Campus, Camera, Cauſa, Cattus, Caulis, & aſpiratione carent, & abſque aſpirationis nota ſcribi debent. Nonnunquã vero S, cum aſpiratione, id eſt ch, vitio labiorum tranſit in ſonum literæ G: quod inter multos loquendi differentiã gignit, vti in ſacris eloquijs oſtendũt dictiones Sebboleth & Chebboleth. Idque vitij ſæpe inter Belgas, & Parrhiſios accidit. vt in his, *Torſe*, *torche*. *Six blanes*, *chis blanes*. Flandri quoque & Angli, hoc in lingua etiam Latina laborant vitio, vt quibus vox hæc ſuper, ſonat vt Chuper: & contra, vox michi, ſicut miſſi. *chat*, vt *Sat*. *choſe*, vt *soſe*. Denique cum ſignũ aſpirationis H, ſubmittitur literæ P, tum ſonum illius mollit, efficitque molliorem, nec abſimilem ſono literæ F: quod dictiones hæ docent, Phanum, Fama, Phædrus philoſophi nomẽ. Formica, Phul nomen Aſſyrij regis, Fuligo: in quibus Ph ante omnẽ vocalem ſonat vt litera S: Meminiſſe autem deinceps iuuat in dictionibus Hebræis, in quibus P, cum aſpiratione cadit, verti id à Latinis in P vel ſimplex, vel duplex, vt in his, Philiſthini, Palæſthini: Ioſeph, Ioſephus, Ioſippus: Iaphet, Iapetus, Iaphe, (Id eſt oppidum in litore Syrij maris) *Ioppe*. Ephree quondã rex AEgypti, Apries. Iſte eſt Apries quem Amaſis præfectus eius, populi tumultu, diademate inſignitus cepit, & laqueo ſtrangulari iuſſit, eiuſque loco regnauit. Lege Herodotũ. De hoc quoque Ieremias ſub nomine Ephree, capite quarto & quadrageſimo habet, Ecce ego dabo Pharaonẽ Ephree, id eſt Apriem in manus inimicorum eius. Hic ſucceſſit Nechaoni Ioſiæ regis peremptori: fuitque tẽpore trãſmigrationis Iudæorũ in Babylonem.

De litera I, ſexta conſonante. Cap. XXXIII.

I SEXTA cõſonantium iam dicta eſt, ſub ratione duritiei & mollitiei ſiſti debere ex aduerſo & eregione literę G. Nam G duriuſcula, I vero conſonans paulo mollior è labijs prodit. Præmiſſa quoque ſunt exempla in litera G, oppoſitionis & mutuæ ſtateræ ambarum potiſſimũ in vulgari lingua, in qua ſæpiùs vna earũ in aliam vitio labiorũ liqueſcit. Vt *Gambe, Iambe: Goie*, à gaudio, *Ioie*. Cũ id vitij in Latina lingua nuſquam patretur. Northmanni hoc perſæpe laborant vitio, dum literam G, pene vbique, in ſono literæ I conſonantis pronuntiant. Dicit enim Northmannus: *Ie arine ainſi*, pro *Ie argue ainſi*. Et nõnunquã niſi diligenter cauerit, Ariuo ſic, pro Arguo ſic. I autem conſonans ante omnem vocalẽ præterquam ante I, ſæpe præmittitur: vt in his, Ianua, Ieiunium, Iocari, Iuuenis. Raro autem aut nunquam I ante I, ſonat vt cõſonans. Nam in verbo hoc Inijcio plurimi aut vnicam I mediã ſcribunt & pronuntiant: aut ſaltem ſub lingua & ſilentio alteram retentant. Cum tamen in eius prętерito inieci, mediã I, & ſcribant & pronuntient in ſono conſonantis. Quod ſi Latinis placeret ex litera I, vt conſonante, conficere vbique integram in ore ſyllabam, tum cõtingeret literam I, nuſquam fieri conſonantem, ſed ſemper eſſe vocalem, vt in his nominibus, Iohannes, Iacobus, cum interdum in carmine quadriſyllaba fiunt. Ibi enim I, vt vocalis profertur. Maius vt comparatiuum à magno, id eſt grandius: & Maius, vt quinti menſis nomen: hoc quidem trium, illud duarum ſyllabarum: nec in voce, nec in ſcriptura diſcrimẽ aliud habẽt quàm ſolius literę I, quæ in hoc quidẽ nomine vt vocalem: in illo, velut cõſonantem ſe gerit.

De Græca litera Iz, in Latino abecedario pene inani. Cap. XXXIIII.

Iz LITERA, in Latino alphabeto locum quidem habet, veruntamen non vt Latinis vocibus opem præſtet, ſed vt ſolis nominib⁹ Græcis famuletur, quam dudũ inops Latinitas, à Græci ſermonis antiquiore opulentia ſibi depopoſcit: vt dictioni κύϱιος, à qua diximus in vulgo Gallorum ortam dictionem *Syre*, quæ dominũ ſignat. Gręcã ſiquidem linguã ante forte Romani ſermonis initia, in Gallia viguiſſe, & Druidas vetuſtiſſimos Gallorũ ſapiẽtes eius miniſterio in filijs tyrannorum & nobilium erudiendis vſos fuiſſe, cum hiſtoriæ non ſilent, tum plurima vſque hodie in ore Gallorum illius veſtigia: ſed & antiqua etiam ſcripta docent. Cæſar quoque in Cõmentarijs ſcribit

in caſtris Heluetiorum quos vicit, inuẽtas, & perlatas ad ſe fuiſſe tabulas Græcis literis cõfectas, quæ cenſum & numerũ omnium eorum, qui domo exierant cum vxoribus & paruulis cõtinebãt. Habet autem litera tz, ſonum literarũ, C & Q, quibus Græci carent: vt qui vnius miniſterio, duarum vſum ſupplent.

De conſonante L. Cap. XXXV.

L IN numero conſonantium literarũ ſeptima iuxta rationem mollioris & durioris ſoni, ſiſtenda eſt ex aduerſo literæ R. Has quippe duas L & R, Latini liquidas & ſæpe quidem numero liquentes appellant: vt fit in his Clamor, Claritas, Pratum, Primum. Eſt autẽ L in labijs mollior, R vero paulo aſperior: quod facile in infantibus experiri libet, quorũ blæſa & tenera adhuc labia, loco R, quippe aſperioris, ſæpe effantur L molliorẽ, vt in his liquet, *Mon-palin*, pro *Monparrain*. *Du loſt*, pro *du roſt*. *Catline*, pro *Caterine*. Parrhiſij hoc vitio laborant, vt quotiens R in media vulgari dictione præit L, conflent duplicem ll, vt in his *Charles, marles, parler* à parabola quaſi *parroller*, *Marle*. dicũt enim verſa R in L, *Challes, malles, paller, Malle*, quod maſculum ſignat. In quibus rurſum Belgæ, quàm Franci propius Latinitati alludunt. Nam Latinæ dictiones his reſpondentes, per R ſcribũtur: vt Carolus, Verna, parabola. In dictionibus Peregrinus, & Capitulum vulgo *pelerin & chapitre*, contraria mutatio fit: in prima quippe, R cadit in L: in ſecũda, L in R liqueſcit. Tranſit autem ſæpe etiam numero litera L, & in I cõſonantem, & in V vocalem, præſertim in medijs ſyllabis. Audi Hiſpanos, qui literam L in medio dictionum cadentem, vertunt in I conſonantem. vt in his Mulier, *Monier*. Melior, *Meior*. Palea, *Paia*. *Trauailler*, *Trauaier*. L autem in V vocalem ſæpe admodum in Gallorum labijs liqueſcit: Allium, *Au*. *Soleil*, apud Belgas *Solau*. Alburnum, *Aulbin*. Alexia, *Auxois* Gallicæ vrbis nomen, quã Cæſar diu obſeſſam, cũ Vergentorige Gallorum duce cepit. Contrarium autẽ eius fit in dictione Aula, vulgo *Salle*: vbi præmiſſa litera S, vocalis V reuoluitur in L. Quotiẽs autem in vulgari lingua, L duplex nonnullas anteit vocales, tum ipſa exilem quendã & confractum ſonũ edit, tanquam literarum L & I. vt in his, *Trauaille, Moulle, Soulle, Toulle, Broulle, Maille, Mailly, Boullon*. Aſt hunc ſonum, L duplex in Latina lingua non habet, qui prorſus diuerſus ab ſono ſimplicis L. vt in his, *Simple, boule*, id eſt globus: *Moule* à Medula: *Voille, Toille*, à velo, & tela. Itali in medijs dictionibꝰ ſæpe L in I, vocalem demutãt: vt in his, *pioro, fiore, exempio, tempio*: pro ploro, flore, exẽplo, tẽplo.

Britones Galli,& eorũ vicini, ſæpe in dictionibus Latinis, L ſimplex, frangũt in L & in I, vti in his liquet, Cliamor, Cliauis, Clierus, Cliodoueus: pro his, Clamor, clauis, Clerus, Clodoueus. Plurimi inter Belgas id quoque vitij, ſed in vulgari tantum ſermone,& in initio dictionis habent, vt qui vociferantur, *me liangue*. pro *me langue*. No *liampe*, pro No *lampe*.

De M, ſeptima conſonante. Cap. XXXVI.

M SEPTIMA conſonantium literarum cum N, vicina eſt velut ſorore litera, in oppoſitionis ſtatera eſt appendenda. Nam ſæpenumero accidit vt & in Latina,& in vulgari lingua duæ iſtæ, neſcio an vitio labiorum, an arbitrio loquentium, in ſeinuicem ob ſimilitudinem colliqueſcant. vt in his Mappa, *Nape*: Matta, *Natte*. Plura huius rei exempla, quippe admodum frequentia: ſcrutinio lectoris linquemus. Aruerni & Lemouicini in dictionibus Latinis quibus M præit N, ſuppreſſa litera M, vitium prolationis incurrunt: vt qui dicant, onis, pro omnis. Sonus, pro Somnus. Latini etiam nunc nonnulli, M in P, arbitrio potius ſuo, quàm ratione vertunt, ſcribentes ſopnũ, pro ſomno. Et in his, quibus P ſequitur M, tollunt P, ſcribẽtes Sumſi & aſſumſio: pro ſumpſi, & aſſumptio. Scripſerũt olim quidam temptationem, nũc tentationem. Gallicum vulgus literam M, in media dictione vulgari cadentem, ſæpenumero vel vertere in B, vel illi addere B ſolet, vt in his, Flamina, *flambe*. Cumulus, *comble*. Tumulus, *tombe*. Marmor, *marbre*. Chamelus ingens chorda, qua in ædificijs artifices, in ſubleuandis lapidibus & lignis vtuntur: *chable*. De hoc ſcripſit dominus in Euangelio, Facilius eſt (inquit) Chamelũ intrare per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Quod non de camelo animali, ſed de chamelo, chorda intelligendum. Camera item quæ teſtudinem innuit, vulgo *chambre* vel *cambre*. Humilis, Similis, Tremulus, *Humble*, *Samblant*, *Tramblant*. Idipſum quoque & Hiſpani, imo frequentius quàm Galli faciũt. vt in his liquet, Homo apud Hiſpanos *hombre*. Fames, *Ambre*. Summa, *Sombre*. Hinc etiam ortũ eſt Cimbrorum nomẽ, quos memorãt hiſtoriæ à Cimmerijs, qui ad Tanain pertinent, originem traxiſſe, dictoſque Cimbros quaſi Cimmerios: verſa M ſecunda, vt ſæpe accidit in literam B.

De N, octaua conſonante. Cap. XXXVII.

N ET M vicinæ conſonantes,& penè tam de ſoni, quàm de characteris ſimilitudine ſorores, vnicã & parem oppoſitionis ſtateram conficere iam dictæ ſunt. Sæpe et-

enim numero ambas in ſeinuicem vitia labiorum peruertunt. Iungitur autem etiam N magna quadam affinitate cum liquida L, quæ ſæpe admodum inter eas parit alternationis viciſſitudinem. Vt in his, venenũ, *velin*. Orphanus, *orphelin*. Panormus, Siciliæ vrbs, *Palerme*. Marcus Meſſala Romani quondam conſulis nomen: pro Marco Meſſana. Verna *varlet*: litera N, in L eroſa. Contrarium huius fit in dictione Hiſpania, dicta ab Hiſpalo Herculis filio, & ab Hiſpali Beticæ vrbe, quã hodie Hiſpanũ vulgus, à Sibylla, *Sevillian* vocat. Ibi enim L trãſit in N, nempe Hiſpania quaſi Hiſpalia. Cuncta Latina nomina quæ deſinunt in nia, cum cadũt in os Gallici vulgi, diuerſum habẽt in litera N ſonũ ab his quæ finiuntur in ſyllaba na: vt in his fit, Britannia, Colonia, Bolonia, Romania, *Bretainne, Coloine, Boloine, Romaine*, quibus poſtrema ſyllaba *ne*, aliter ſonat quàm in iſtis, Coquina, vicina, id eſt *Cuiſine voiſine*. Hic enim integra: Illic vt fracta ſonat ſyllaba *ne*, quaſi *nie*. In his etiam Latinis nominib⁹ quæ vel in medio, vel in fine dictionis præmittunt G aut N, necnon & in Gallicis eorum ſignificatis, variandus eſt ſonus literæ N. diuerſa quippe faciunda eſt prolatio iſtorum duorum, Manus & Magnus: ſimiliter & iſtorum linum & lignũ: item horum, ſtannum & Stagnum, Rhenus & regnum, diurnum & dignũ. Gallicæ quoque eorum voces ſono diſtiguendæ, quod & facit vulgus, apud quem diſtant & in ſcriptura & in ſono labiorum hæc duo, *Ie diſne, Il eſt diſne*. *Laine* à Lana, & *Laigne* à Ligno. *Maigne* à Magno, & *Maine* à Manu. *Roigne*, id eſt ſcabies, à qua *roigneux*, id eſt ſcabioſus, à rodendo: quòd ſcabies erodat carnem, & *Raine* à Rana. Nam ſicut hæc & in ſcriptura & in ipſa hominum ſubſtantia ſunt varia, ita diuerſitas eorũ inſinuãda quoquo pacto & in labijs & in auribus eſt.

De P, decima conſonante. Cap. XXXVIII.

P DECIMA conſonans litera, iam monſtrata eſt in affinitate oppoſitionis ſiſti debere ex aduerſo & eregione literæ B. Nam B, ſono mollior, P paulo ſonat aſperior. Quamobrem indocta vulgi labia ſæpenumero in harum ſtatera labaſcunt, & vitium pariunt, dum vnam in alterius ſono pronũtiant. Germani quibus aſperius Gallis labium, interim Tominus fopiſcum, pro dominus vobiſcum canunt: duriores pro mollioribus literas effantes, id eſt F pro V, & P pro B. Hiſpani ſapientem virum, Sabio vocant. Ibi P cadit in B. Nos Galli, ſapientem *ſage* dicimus: non à ſapiẽte, ſed à ſagaci. Cadit autem ſæpe etiam

numero litera P in V conſonantem, velut in longe ſe molliorem, vt in his, Papilio, *Pauillon*: Piper, *Poiure*: Pauper, *poure*: Opus, *Oeuure*. Papia, Inſubriæ vrbs *Pauie*, quæ à Ticino fluuio, Gallice *Teſin*, antiquũ Ticini nomẽ habuit. Cooperire, *Couurir*. Opilio quaſi ouillio, cuſtos ouiũ. In his omnibus litera P, velut duriuſcula, in V conſonantẽ, vti in molliorẽ labaſcit. Accidit & iſtud etiam in P cum aſpiratione: vt Raphanus, *Raue*. Denique haud tacendum fuerit iſtud vnum quod ineſt duabus tantum literis B & P, vti affinibus & pene paribus ſono. Nam cum cæteræ omnes literæ queant patulo & aperto pronuntiari ore, abſque vllo ictu, & compreſſione labiorum: ſolæ hæ duæ B & P, in ſua prolatione neceſſarium labiorum ictum depoſcũt. Os enim in primis claudi, labia collidi, mox aperiri, & reſerari ea iubent. Cæteras quidem omnes tam vocales quàm conſonantes, motus linguæ intra oris palatum, aut dentibus alliſus, aut eis intercluſus patenti hiatu labiorũ profert. In pronuntiatione vero duarum P & B, velut ſono affinium, neceſſe eſt primum labia quidem cõprimi & collidi, ac ſubinde ea dilatari, hiare, adaperiri. Traxit hinc, quod ſatis veriſimile eſt, Gallicum vulgus, vocem hanc *beer*: quod eſt os hiare: ab alluſione literæ B. Necnõ & vulgarem vocem *bec*, quod roſtrum vocant: quia in pronuntiatione literæ B, clauſum prius os, mox velut ad eſcam hiet. In litera M, nonnihil penè conſimile accidit: ſed longe in ea leuior eſt & mollior ipſa labiorum colliſio. Fitque etiam hæc cum profertur M, in fine quæ in B, & in P ſub initio prolationis patratur. Habet enim, ſicuti docuimus, litera M cum litera B, quandam ſoni affinitatem: Quandoquidem vulgus literam M in medio Latinarum dictionum cadentem, ſæpenumero vel in B demutet, vel abſque B, eam nequaquã pronũtiet: vti in iſtis fit, Marmor, *Marbre*. Chamelꝰ, pro chorda, *Chable*. Ibi quidem M tranſit in B: in his vero, Tumulus, *Tumbeau*. Similis, *Samblant*. Cumulus, *comble*: interiecta litera B, fortiorem, quàm alioquin, ſonum edit.

De litera Q, vndecima conſonante. Cap. XXXIX.

Q VNDECIMAE cõſonantis literæ ſi ſtateram quis diſquirit oppoſitionis, meminerit relatã iam eam fuiſſe ad literã C, vti ad ſono quidem parem, ſed paulo molliorem. Cum autem literæ C & Q, tribꝰ his vocalibus A, O, & V,

præmittũtur, tum penè nulla exauditur ſoni ambarum differentia: vt in his, quet, Aqua, Vacca, Equo, Croco, Equ9, Acus. Haud enim mollius ibi litera C, quàm litera Q ſonat. Hinc ante eiuſmodi vocales, ob ſoni ſimilitudinem, Latini ſæpe alterã alterius loco ponunt: vt in his, Cur, quur, Cotidie, quotidie: cũ nunquã id fiat ante vocales E & I, ob ſoni diſparitatem. Nam C ante E & ante I, mollisſimum ſonum habet, penè conſimilem ſono literæ S, vt in his cepa, Scyph9, Doceo, Iacio, Cœna, Cynicus. Plurima autem docent exempla, literam C, ſępe admodum liqueſcere vulgo in Ch & in Q: vt piſcator, *Peſcheur*, *peſqueur*. Canus, *Chenu*, *Quenu*. Peccatum, *pechie*, *pequie*. Caballus, *cheual*, *Queual*, quaſi *caual*. Non enim vox Gallica *Queual*, aut *cheual*, ab equo, vt quidam autumãt, ſed à Caballo dicta eſt. Muſca item & bucca: *Mouſche*, *bouche*: *mouſque*, *bouque*. Accidit deinceps literæ Q, ob ſimilitudinem literæ C, vt interdum ſonus eius deſiliat in literam S: vt ibi, Coquus, *cuiſinier*. Coquina, *cuiſine*. Idque diximus accidere in litera C, ſæpe in S redeunte, vt in his, Vicinus, *uoiſin*: Racemus, *roiſin*. Denique id quoque peculiare eſt literæ Q, in omni etiam lingua, vt vix ipſa per ſe vlli præmittatur vocali, abſque V vocali interſtite. Experiere iſtud in cunctis dictionibus habentibus literam Q, vt in his, Quatuor, Quæ, Quid, Quod, Quur, Quum, Equus, Coquus, Quia, Quot, Quidem, Quãtum, Quale. Vulgaris quoq; ſermo id habet, vt in his, *Quatre*, *Queual*, *Quenoulle*, *Quentin*, *Quaquet*, à Cachinno, verſo vtroque C, in Q. Nam & iſtud idem ob affinitatem literarũ C & Q. accidit etiam literæ G, vt in his, lingua, langor. Eſt enim litera G, ambarum affinis, ſed vtraque mollior.

De R, duodecima conſonante. Cap. XI.

R ET L, ſicut veræ liquidæ ſunt, & perſæpe liqueſcunt, ita & vnam labiorum ſtateram conficiunt: quod quidem exempla docẽt quæ poſuimus in litera L. Nam R, quia paulo aſperior, ſæpenumero verti in L ſolet: quod infantes & Parrhiſij faciunt, vt in his, *Mon palain*, pro *mon parrain*. *Vallet*, pro *varlet*. *Paller*, pro *parler*. Non tacendum eſt iſtic, aliud Parrhiſiorum vitium in literis R & S. Innumera ſunt eius rei exempla tam in Latino interim ſermone, quàm in vulgari. *Ieru Maſia*, pro Ieſu Maria. *Miſeſeſe*, Miſerere. *Coſona*, Corona. *Meſe*, *freſe*: pro *mere*, *frere*. Et contrà, *Courin*, pro *couſin*. *Oreille*, pro *oſeille*, id eſt acetoſa herba. Et non ſolum id vitij in labijs habent, ſed id quoque patrant in ſcriptura, vt vix quidem docti, niſi diligenti

animaduerſione pinguiuſculã & vitio obnoxiam ſuo labiorũ pulpam caſtigẽt, norint ab eo genere vitij abſtinere: id etiam publica domorũ ſigna Parrhiſijs in vicis profitẽtur, *Au Gril conſonne. A leſtelle conſonnee. Au boeuf conſonne.* quæ ſublimes prætereuntium oculos non latent. Flandri & Hãnones hoc vitio laborãt, vt vbique ferè pro duplici R, ſimplicem enuntient: & vice verſa, duplicem R, in ſono ſimplicis R eſſentur: vt in his, Spiritꝰ, Spirritus: Carolus, Carrolus: Forum, Forrum: Carus, Carrus: Et contrà, Curit, pro Currit: Coruptio, pro Corruptio: Ferũ, pro Ferrum. Idque vitij patrant & in initio, & in medio & in fine dictionum, commutãtes exilem literæ R prolationem in fortiorem, & fortem in exiliorem.

De litera S, tertiadecima conſonante. Cap. XLI.

S CONSONANTIVM decimatertia cum litera Z, conſonantiũ poſtrema, in ſoni ſimilitudine & oppoſitionis viciſſitudine quadrat. S quippe paulo aſperior, Z paulo mollior labia collidit. Germani aſſueti, literam mollem, pro duriuſcula, & duriorem pro molliore effari, in hoc ſæpe labũtur: vt quibus vox Sapientia, ſonat vt Zapiẽtia. Et Zopirus (nomẽ viri Perſæ: cuius induſtria & fraude Darius, rebellem cœpit Babylonem) ſicut Sopirus. Conſul, vt Cõzul. Habet etiã (quod iam diximus) litera S, & cum C ſimplici, & cũ C aſpirato, id eſt cũ Ch, plurimã ſoni viciniam. Cum C ſimplici, vti docuimus accidere in dictionibus vicinus, racemus, *Voiſin, Roiſin:* in quibus C ſimplex cadit in S. Cum Ch autem, ſicuti monſtrauimus inter Parrhiſios & Anglos fieri: quorũ labia ſæpenumero S pro Ch, & Ch pro S enuntiant. Cuius rei exempla præmiſſa à nobis ſunt. Semita, Latina dictio vulgo *Chemin*, id etiam oſtẽdit, in qua S labitur in Ch. Morini & Bolonij, noſtri Oceani accolæ, in medijs dictionibus vulgaris linguę id patrant vitij, vt S in I demutẽt. dicimus vulgo, *Maiſon, Oiſon, Tiſon, Priſon, Toiſon:* dicũt Morini, litera S in I labente, *Maion, Oiion, Tiion, Priion, Toiion.* Et horum vulgariũ ſi quis Latinam poſtulet originem, *Maiſon* dicta eſt à mãſione, quaſi *manſion. Oiſon,* ab anſere. *Tiſon,* à titione. *Priſon,* quaſi *prehenſion* à prehenſione. *Toiſon,* quod eſt tonſum ouium vellus, à tonſione, quaſi *tonſion.* In Gallica enim lingua quãquam plurimæ ſunt voces barbaræ, & Latino ſermoni prorſus impertinentes, bona tamen earum pars (quãquam & tempore, & labiorum vitijs offuſcata) apud peritiores Latinam originem non mentitur. Itali literam S in G & in I refringũt. Vt *Ragió, Magion,* pro *Raiſon, Maiſon.*

Eſt autẽ & id deinceps vnum nequicquam obliuioni committẽdum, vt quotiens litera S, in capite Latinarũ dictionũ præit conſonantes, præſertim tres, C, P, T, Gallica dictio quæ earũ ſignificantiæ obreſpondet, addit in initio ante S vocalem literã E: vt in his videre licet habentibus in primis S ante C, Scribere, *Eſcripre*: Scala, *Eſchiele*: Scamnum, *Eſquamme*: Scutum, *Eſcut*: Schola, *Eſcole*: Scrinium, *Eſcrin*: inde *eſcrinier*, ſcriniorũ faber. Deinde & in his præmittẽtibus S ante P: Spiritꝰ, Spina, Spatiũ, Spongia, Spuma, Spatha, Sphæra, Spes, quæ ſunt in vulgo, *Eſperit*, *Eſpine*, *Eſpace*, *Eſponge*, *Eſcume*, *Eſpee*, *Eſpere*, *Eſperance*. Poſtremo & in his quibus S præit T: Studium, Stolidus, Status, Stupa, Stolones, Stella, Stipula, vulgo *Eſtude*, *Eſtourdi*, *Eſtat*, *Eſtoupe*, *Eſtalons*, *Eſtoille*, *Eſteule*. Id quidem vitij Itali non habent, quo tamen Hiſpani pluſquam Galli laborant: vt qui vix cauent, quin ſicuti loquuntur, etiã ſcribant, *Eſtudeo*, *Eſcribo*, *Eſcola*, *Eſpina*. Accidit etiam iſtud in hac dictione, Squamma: in qua S præit literam Q, vulgo *eſquaille*. Sed id, quia litera Q, in pluribus cõſentanea fit ſono literæ C. Parit & aliud vitium litera S, præter ſtateram ſuã. Nam cũ nil cognationis habeat cum litera D, tamen in vulgaribus linguis ſæpe in medijs dictionibus labitur D in S, vt in his, *Magdelaine*, *Maſdaine*. *Vedday*, *Vezelai* nomen oppidi monaſteriũ habentis, in quo ferunt diuæ Magdalenæ corpꝰ iacere. *Goudman*, *Gouſman* Germanica lingua bonus vir.

De litera T, quartadecima conſonante. Cap. XLII.

T QVARTADECIMA conſonantium literarũ, oſtẽſa iam eſt ſub mollioris, aut durioris ſoni interuallo ſiſti debere ex aduerſo literæ D. Nam T in D, ſono quidem penè ſunt pares: verũ huius mollior, illius durior & aſperior ſonus aures ferit. Quamobrẽ cæli horoſcopus, ſub vitio labiorum perſæpe in earum bilance colludens, vnam in ſono alterius pronuntiari à varijs nationibus iubet. Germani literam T, in ſono literæ D, perſæpe effantur, Itali & Hiſpani contra, T in D reflectunt, vt in his liquet, pater, mater, frater, *Padre*, *Madre*, *Fradre*. θεός, & deus: hæc Latina, illa Græca vox: hac forte ſola ratione mollioris ac duriuſculæ literæ diſtãt. Nam & apud Græcos quotiens T in medijs dictionibus ſummittitur literis M & N, tum hæc pronũtiari iubetur in ſono literæ D, vt ibi πάντες, quaſi pãdes. Quod autem diximus dudum accidere conſonantibus duabus, C & G, vt ante geminas vocales E & I in cũctis ſyllabis mollius ſonent, quàm præ vocalibus tribus A, O, & V, vt in his, Cæ-

lum, Gyrus, Gero, Gilo: id quoque in medijs tãtum ſyllabis, duntaxat ante I vocalem accidit literæ T: vt ſonus eius ante I molliatur in ſonũ literæ C: vt in his, Quatior, Patior, Fortior, Motio, Dormitio, Lotium. Id quidem à Latinis eo pacto in cunctis obſeruari iubetur, idque errorem interdum & hallucinationem parit quorundam in ſimilibus, aut C aut S, loco T ſcribentium.

De litera V vti conſonante. Cap. XLIII.

V PROMISCVA litera, nunc vocalis, nunc conſonans. Iam monſtrata eſt vt conſonans iuxta ſoni aut mollitiem aut duritiem, reponi debere in ſtatera conſonantium trium B & F & P: cum ſæpenumero harum trium, B, F, P, & V conſonãtis, viciſſitudo fiat à vitijs labiorum. Compluſcula huius rei exempla poſita ſunt in literis B, F, & P: idque tam in vocibus Latinis, quàm in vulgari ſermone: quæ iſtic reſumere ſuperfluũ eſſet, & tædiũ lectori pareret. Vaſcones & Bardi Galli, Hiſpanorum vicini, id vitij in labijs ab horoſcopo ſuo habẽt, vt crebriuſcule B in V conſonantem, & vice verſa, V conſonantem in B varient: adeò vt interim canant regi iſtud egregium celeuſma, Bibat rex: pro Viuat rex. Et vonum binum, pro bonum vinum. Et in vulgari ſermone, *Il eſt veau*, pro, *Il eſt beau*. Et *Laue*, *Laueſſe*, pro *Labbe*, *Labbeſſe*. Salutauit Picardus obuium Vaſconem, Dieu vvart. Reſpondit Vaſco, Et Bous. Id quoque vitij cæteriores Hiſpanos adit, qui vaccas, baccas, & baccas, vaccas, magna rerum ſignificatarum commutatione appellant: carneſque bouillas, vobillas. Veruex Latina dictio eſt, cui vulgo noſtro reſpondet vox *berbis*: cadente vtraque litera V conſonante in B. Sed nos hac voce *berbis* hallucinamur, ſumentes eam pro oue, cum veruex non ouem, ſed caſtratum ouis maſculum ſignet: aſt maſculum non caſtratum, Galli, *ran* vocant, hac voce ab ariete deducta. Oues autem Ouailles, vulgo dicunt. In dictionibus Riualis, & Gobio, contraria fit literarum demutatio: nam à Riuali tracta eſt vox infamis Ribault: cadente V vocali in B. A Gobione, id eſt piſciculo, vox orta eſt Gouion: B in V vocalem relabente.

De litera X, ſubultima conſonantium. Cap. XLIIII.

X SVBVLTIMA conſonantium, quam Latini à Græcis mutuarũt, cõplexum quendam ſonum habet literarũ C & S. Nam Latini quondã literis C & S, pro vnica X vſi ſunt: quamobrem & ipſa ex aduerſo & e regione ambarum ſiſti

debet. Etenim labiorum vitia interdum in omni ſermone eouſq; aberrant, vt literas C, Ch, & S, in X varient: & vice verſa literam X, in prædictas demutent. Verba coniugationis tertiæ quæ in vltimis ſyllabis vel C, vel G, vel H, ante O vocalem præmittũt, ſæpenumero in ſuis præteritis, C & G, in X variant. Vt hæc, Dico, fingo, cingo, ſtringo: quorũ prteterita, Dixi, finxi, cinxi, ſtrinxi. Item, Traho, Veho, traxi, vexi. Iſtud idem faciũt & pleraq; verba coniugationis ſecundæ, quæ literam G in penultimis ſyllabis, ante E & O præmittunt, vt Augeo, Lugeo, auxi, luxi. Aſt hæc, Fulgeo, Mulgeo, in præteritis ſuis, non in X, ſed in S cadũt: Fulſi, Mulſi. Quamobrem habet & litera X, cum conſonante G, affinitatem nonnullam: quandoquidem non ſolũ in pleriſque verbis, ſed etiam in compluſculis nominibus fiat caſus & euariatio vnius in aliam. vt in his, Orgentorix, Vercingentorix, Dumnorix, Ambiorix, antiquorum principũ Gallorum nomina: in quorum genitiuis caſibus X cadit in G. In his etiam, Rex, Lex, Grex: quorum genitiui, regis, legis, gregis. In alijs conſimilibus multis, X cadit in C, vti in his, Veruex, Cortex, Apex, Sorex, Nex, Fex: quorũ caſus genitiui, veruecis, corticis, apicis, ſoricis, necis, fecis. Conſimili quoque modo & in his accidit, Salax, Verax, Pernix, Perdix, Velox, Selox, Trux, Lux, Dux: quorũ genitiui, ſalacis, veracis, pernicis, perdicis, velocis, ſelocis, trucis, lucis, ducis, C pro X compẽſant. Priſci Galli (quod hodie antiquæ ſcripturæ nos docent) in finibus Gallicanarum dictionum ſæpe X pro S poſuere: vt in his, diex, liex, viex, pro deo, pro loco, & pro vetere, quæ nunc ſcribimus per ſ, *dieus, lieus, vieus*: immo iam ſuppreſſa litera ſ, *dieu, lieu, vieu*. Errorem tota peperit Gallia affinitas literarum x & ſ, arbitrantiũ Senones Gallos quondã vrbem Romam incẽdiſſe: cũ id fecerint Xenones, id eſt aduenæ Galli. non enim à Senonibus, ſed à Belgis famoſa illa eruptio, ducibus Brenno & Belgio fratribus cœpit, quæ ſupra trecenta Gallorum millia, velut peregrinatum in Italiam effudit. Hos Itali, quia velut aduenas & peregrinos Græca voce Xenones dixere: poſteri ſolius nominis Hallucinatione (quam vicinia literarum S & X, penè ſono ſimilium parturijt) falsò Senones credidere. Id nũc fit in nomine Vlyſſis, quod nonnulli per X ſcribunt, alij per geminatam S ſcribi debere mallũt. Lexouij Galliæ populi vulgo *Liſieux*, ibi X in S cadit.

De litera Z conſonantium poſtrema. Cap. XLV.

Z CONSONANTIVM poſtrema, poſt literã Pythagoræ Y, numerum & ordinem conſonantiũ literarũ claudit. Huius ſtatera & cognatio in paritate ſoni iam confecta eſt in litera S, vt ſono aſperiore. Nam Z paulo mollior eſt, vt in his experiri libet, Conſul, Conzul. In quibus S & Z, penè ſono pares ſunt: ſed hæc mollior, illa duriuſcula. Habet autem & litera Z, nonnihil affinitatis cum litera G, qua ſæpe & in labiorũ mollitie, & in officio ſcripturæ, Z cadit in G. Vt in dictione Zinziber: quam quia Gallicum vulgus *Gingembre* vocat: etiam iam in Latinorum vſum ceſſit vox *Gengiber*, pro Zinziber. Plurimi etiam ab affinitate & ſimilitudine ſoni literarum S & Z, deluſi, interdum Zacharum pro Saccaro & effantur & ſcribunt. Turcharum principem, barbaro nomine Paziazith, eum qui Motonam vrbem abſtulit Venetis, Latini Pagiaſethum vocant, verſa prima litera Z in G, ſecunda in S collabente. Sic prona vbique ſunt & lubrica in ſermone, nominibúſque variandis hominũ labia, vt in ſtatera literarum ſibi in ſoni ſimilitudine reſpondentiũ colludant, & vel vitio ſuo ab horoſcopo & climate cæli emanante, vel ſolo arbitratu ipſas voces varient: & exinde ſermones diuerſiſſimos conflent. Cuius quidem cauſa diſtinctio ſingillatim duarum & duarum conſonantium miro quodam in ſoni paritate reſponſu, oſtenſa à nobis eſt.

Figura oppoſitionis & affinitatis conſonantium literarum. Cap. XLVI.

PERAGRAVIMVS ſtadiũ Latini abecedarij, in quo vidimus quænam conſonantium literarũ ſtateræ ſint cõficiendæ, id eſt quæ earum binæ & binæ ſint pene in labiorũ colliſione pares: & iuxta ſolius ſoni aut duritiem aut mollitiem ex aduerſo & e regione ſui ipſarum ſiſtendæ. Hæc quidem ſoni affinitas & cognatio, ſolis eſt conſonantibus adſcribenda. Nam vocales licet obnoxiæ ſint vitijs labiorum, à quibus (vt mõſtratum eſt) in ſeinuicem demutentur: temere tamen eas quiſpiã mollioris aut durioris ſoni, interuallo diſpeſcuerit. Aptabimus igitur conſonantium literarum ordinem ſub ipſis vocalibus, iuxta reſponſum mutuæ ſuæ oppoſitionis, in hanc figuram.

A	Æ		I		O		V		Vocales.
B	C	D	F	G	I	L	M	S Z	Conſonantes molles.
P	Q	T	V	C	G	R	N	X S	Conſonãtes duriores.

Ex inſpectione ſiquidem huius figuræ perfacile agnoſcet lector

quid cauſæ vulgaribus quibuſlibet linguis vitiũ labiorum impingat. Latina quippe lingua, velut vniformis idea trium linguarũ, Italicæ, Gallicæ, Hiſpanæ, cum ſuarũ regularum iuſtis coerceatur habenis, obnoxia vitijs labiorũ non eſt: vt quæ & ſemper & vbique, & in omni hominũ labio imitationis neſcia, perſeuerat vna, illibata, incorrupta. Hunc enim virum, Latine dicere iudicauerit nemo, quiſquis pauxillũ vel iuſtam Latini ſermonis texturã vitiarit, vel ſimpliciũ dictionum, aut literarũ ſubſtantiam, ab ipſa ſuorum labiorũ obliquitate, aliter quàm ſe habere debent, pronuntiarit. Hoc autẽ in nullo vulgari ſermone accidit, vtpote experto regularũ, expoſito vitijs labiorũ, interuallis locorũ, & ſucceſſionibus temporũ. Docuimus enim in tabula Latinæ vocis Ita, tantum ſemel contingere vt quis eam latinè & ritè pronuntiet: cum ſcilicet nihil omiſerit ex ea, & nec literam eius vnam inuerterit in aliam: at vero modis pluribus quàm denis, illius ſignificantiã à vulgari exprimi labio, quod quotidiana experiẽtia docet. Et quãquam tã multa ſit illius ſectio in vulgari labio, nullus tamen plebeius homo ſe in eius prolatione vſquam labi, aut errare putauerit, modo iuxta ſui cæli horoſcopum, & patriæ conſuetudinẽ, eius voculæ ſignificantiam pronuntiet. Vt enim ſingulis ſua conſuetudo populis ſedet, ita & cuilibet nationi ſua nimirum lingua placet, ſuúſve ſermo nulli nõ rectus, non bellus, & nõ bonus eſt.

Incaſtigabilia eſſe imperitæ plebis labia, ne in verna quavis lingua vitium patrent. Cap. XLVII.

Et quanquã vt in vulgaribus linguis regulam quandam ſtrueremus, conati & niſi ſimus, ſingillatim cõſonantiũ literarũ ſtateram oppoſitionis conficere: tamen cum vitium omne ſit & regulæ & ſtateræ expers: cũ innumeræ ſint cauſæ quibus imperitia vulgi à recto & ſcribendi & loquendi modo labaſcat, abſit vt quis autumet nos velle vllis regulis indoctæ plebis caſtigare labia, & à maternæ linguæ vitijs: immenſo & caſſo labore ea cohibere. Etenim cũ gens & natio quælibet ab ipſo, cui ſubiacet, cæli horoſcopo, in ſuum ſit prona vitiũ, cum diſtinctũ aliquo pacto à vicina natione gerat labium: fruſtra quis tentauerit in vulgari qualibet lingua aut ſcrutari centrũ, metrúmve illius: aut indagare in ea & ſtabilire ſyncerã totius vniformitatis ipſius ideam, aut exactam conflare regulam, quæ blæſa, barbara, impedita, & obnoxia vitijs, imperiti vulgi labia ſeuere eouſque aſtringat, vt à patrij ſui ſermonis idea, & vniformi lima, diſſentiat plebeius nemo. Quis enim cauſam dederit, cur inferiores Germa-

ni, & Flandri eaſ ſuæ linguæ voces effantur per T, quas Germani ſuperiores per duplicatam S eloquuntur? Album vinum, Superiores Germani, VV*iſſe* VV*in* vocant. Flandri VV*itte* VV*in*. Aquam illi VV*aſſer*: iſti VV*atre* dicunt. Hæc enim literarũ duarum S & T, in ſeinuicem demutatio accidit præter communem ſtateram & affinitatem conſonantium: quandoquidem S & T, nulla inter ſe ſoni affinitate copulentur: vt facile vna in aliam leui labiorũ vitio liqueſcat. Et ſi in Latina lingua indagandum fuerit vel labiorum vitium, vel nimia hodierni ſingulorũ arbitrij licentia: quis rite iudex & arbiter huc aderit, an ſit ſcribẽdum cauſa, an cauſſa, Pariſius an Parrhiſius, Somnus an ſopnus, Sumſio an ſumpſio? Turpe enim quilibet dixerit, in Latina lingua, introducere labiorum manantia ab horoſcopo cæli vitia. Nec minus etiam præter rationem fuerit, quenque arbitratu ſuo, antiqua nomina vel immutare, vel corrumpere velle. Diſtant enim cauſa & cauſſa, vti Gallorum & Germanorum labia. Hæc enim cum ſint aſperiora, literæ S fortius expreſſæ duplicem tribuunt vim, tanquam ſſ: illa velut molliora, literam S lenius ſimpliciuſque effantur. Pariſius & Parrhiſius: vt Francorum & Flandrorũ labia diſpeſcuntur. Nam diximus Flandros huic vitio eſſe obnoxios, vt in litera R peccent, vt qui ſimplicem R, in duplicis RR ſono, & duplicem in ſono exili pronũtient. Quis igitur demiretur, in plebeia lingua, & in ſermone vulgi, vitia labiorum apparere, cũ ne Latina quidem lingua videatur eorũ eſſe expers? quod tamen leui potius arbitrio fuerit tribuendum nonnullorum, quàm vel cæli horoſcopo vel ſoli vitio labiorum.

Superfluam & caſſam fore diſquiſitionem ideæ in omni ſermone vulgi. Cap. XLVIII.

NEGAVERIT itaque nemo ſuperfluã fore & caſſam diſquiſitionem ideæ in omni ſermone vulgi. Quis enim in aliqua Galliæ portione peculiarẽ ſcrutabitur linguã, quam rite cõſtituat, & aſſeueret totius fore Gallicæ linguæ ideã, quæ ſic perpẽdiculũ & amuſſim ſui nitoris ſuæve rectitudinis attingat, vt nulli prorſus ſit cæli horoſcopo, nulli labiorũ vitio obnoxia? Si quis enim Aquitanos culpauerit, vti in Gallica lingua ſoloeciſmũ & ſcribliginem facientes, cur eodem iure non & Celtas increpuerit & Belgas, quorum ſuam quiſque linguam, in perpendiculum rectitudinis attollet: interque Gallos eam eſſe linguarum præcipuam & potiſſimã defendet? Vbinam igitur, & in qua Galliæ regione locabimus totius Gallici ſermonis archetypum?

Vbi verã illius ſcrutabimur ideam? Nuſquam ſanè, niſi quis forte labia linquens vulgi, neglecto etiam quouis Galliæ ſolo, Latinã linguam in doctorum virorum ore, in ſuo ſplendore ſedentem, & velut Gallici ſermonis fontem inſpectet: vtpote à locorũ, temporum, & horoſcoporum caſibus immunem. Et hanc ideo inſtituat, Gallici cuiuſque ſermonis ideam, quam excogitatæ à doctis regulæ à labiorum vitijs, violari non ſinant. Imo ad cuſtodiendam vniformitatem illius, nulla non ora ſeuere caſtigant, nullum non detergunt & expoliunt labium.

Germanicam linguam à Latina lingua prorſus diſſentaneã apparere. Cap. XLIX.

SED quid de Germanicã tandem lingua, aut alio quouis barbaro ſermone dicemus, cuius incerta origo, nihil vel permodicum, Latina cũ lingua, cõmune præſe fert? Angli & Flandri, quos à Germanis (nempe à Saxonibus) originẽ duxiſſe, & homophonia ipſa, ſeu ſimilitudo linguæ docet, & hiſtoriæ tradunt, quanquam communis ſit eis cum Germanis eiuſdem penè ſermonis vſus, dubium tamen non eſt quin & à diuiſione locorum & lapſu temporum, labium late ſecuerint, multóſque in lingua ſua ſolœciſmos perpeſſi ſint. Nam & hi qui in ſua ſede manſere, qui nuſquam Germaniæ finibus exceſſere, à modica locorum diſtantia aliquo pacto ſciſſi ac varij, cernuntur eſſe lingua. Superiores Germani, panem, *brot*: inferiores interiectione litere i, *breit* vocant. Carnes illi, *flechs*: iſti, *flachs* appellant. In qua igitur Germaniæ natione, in quo Germanorum ſolo, in qua potiſſimũ vrbe conſtituet quis Germanicæ totius linguæ ideam, quæ ſit illius initiũ & metrum, totiúſque diſtributionis ac variæ profuſionis emporiũ? Haud enim Latina lingua ad id officii congenea eſt. [illegible] cũ diſſentanea prorſus ſit à Germanorũ ſermone, totáne æquiuoca & homonyma illi: quo pacto huic ſuam quam veſtigamus amuſſim, ſuǽque directionis perpendiculum ponet?

Temere Iohannem Tritemium, Germanorũ linguam, Latinæ linguæ adæquare voluiſſe. Cap. L.

NON temere, cũ ſemel eſſem in Germania, apud Iohannẽ Tritemium quondam abbatem Spanemenſem, riſi ego & ludibrio habui, irritam illius & caſſam prorſus, quã in poſterum coram me reſpondebat ſe operam daturum. Nam cum quadam die in familiari collocutione, oborta caſu eſſet vulgaribus de linguis ſermocinatio: tũ rem ſupra vires polliceri Tritemius non erubuit: qui Germanicam linguam, & confictis à ſe

characteribus exculturum, & ſufficiẽtibus regulis inſtructurum? necnon Latinæ tandem linguæ parem ſe effecturum ſpopondit: adeò(aiebat) vt docti quidem viri in diſciplinarum & ſcientiarũ traditionibus nihilo dedignarentur illius commoditate & adminiculo vti. Hac ego audita illius ſponſione, ſubridens reſpondi, Tantæ voluere magnitudinis ſaxum, haud eſſe humanarum manuum. Vbinam enim inquam ego, ô Tritemi, apprehenſurus es ipſam Germanicæ linguæ ideam, quam ſuccingas vallis ac loris regularum, quibus aſtringi oporteat, prona in vitium ſuum imperiti vulgi labia, ne ab amuſſi ab idea, & à perpẽdiculo ſuæ linguæ vſquã titubent? Nam ſicuti diximus de Gallis, ita & de Germanis accidit, vt in Germania ſuus cuique populo placeat ſermo, ſuúſve loquendi modus, ſit cuilibet & rectus & bellus. Superiores Germani obuios quoſlibet, hac voce ſalutant, *Gont tag*, id eſt bonus dies: inferiores autem, demutatis N in V, & T in D, eandẽ iam ſalutationem variant, dicunt enim *Goud dag*. Quis igitur inter vtroſque populos eadem vtentes lingua, iuſtus ſequeſter fuerit? An inquam rectior ſuperiorum, an inferiorum ſit Germanorum ſermo? Et an pro ſignificatione boni, pronuntiandũ ſit *Gont* per N & T, an *Goud*, per V & D? Et an pro expreſſione diei dicẽdũ *Tag*: an melius *dag*? Quãdoquidẽ vox vtraque ſuo placeat vulgo: & in ſuo dicẽdi modo vitium ſe cõmittere arbitretur nemo.

Contentionem de primatu linguarum, vix rite à quoquam diſcuti poſſe. Cap. LI.

ORIETVR, nulli dubium eſt, hunc in modum varios vbique intèr populos de ſuæ linguæ primatu contentio: quã rite diſcuſſerit nullus, niſi is qui nouerit (ſi de Germanica lingua dicendum) aut primi Germanicæ linguę inſtitutoris arbitrium, aut ſub cuius regionis horoſcopo prima Germanicæ totius linguæ verba effloruerunt: quæ deinceps cũ à diſtantia locorum, tum à ſucceſſione temporum, & vitijs labiorũ corrupta ſint & effecta, variæ pronũtiationi obnoxia. Cui igitur nationi Germanorum, Tritemius excolere eorum linguam cupiẽs, rectioris & ſyncerioris labij palmam dabit? Cui ex aduerſo genti, ſcribligines & vitia, Germanicæ linguæ impinget? Si Germanos ſuperiores à robuſtiore quàm par eſt: inferiores vero, à molliore labio culpabit: ergo eorũ neuter, eius iudicio in mutuæ ſalutationis officio non errauerit. Nam reprehendet ſalutationem, *Gont tag*, velut duriorem: *Goud dag*, velut molliorem. Quodnam igitur inter vtraſque conflauerit mediũ? Etenim in ſtatera affini-

tatis literarum D & T, nulla eſt hac mollior, illa durior. Rurſum quis Tritemiũ edocuerit, an dicendum à Germanis ſit, pro aqua VV*atre*, an VV*aſſer*? an albo pro vino, VV*ite* VV*in*, an VV*iſſe* VV*in*? an pro pane, *brot*: an vero, *broit*? In hac duorum populorum controuerſia quam, quæſo, iuſtiſſimam conflauerit ideam, cum vnicuique ſua nimirum placeat, & optima ſit lingua? Quambrem ſi in vno aliquo ſermone varios inter populos diſtributo, inattingibilis eſt illius idea, tũ ibi neceſſe fuerit vt quælibet eius linguæ gẽs, & bene & rurſum male, ſua verba pronuntiet. Bene quidẽ & ſyncere apud ſe, inque ſua ipſius ſede: male vero, ſiniſtre, & oblique, apud illico vicinam, & conterminam gentem, cui varium affert modica iam loci diſtantia pronuntiandi modum. Incaſſum igitur ceſſiſſet Iohanni Tritemio hic labor, feciſſetque grandem operæ & impenſę iacturam, quo Germanorum linguam regulis & præceptionibus excultam, ſe Latinæ linguæ adæquare poſſe, coram me ſpõdere & gloriari auſus eſt: pollicens rem quæ irrito & perpero niſu, ſuum ſemper fefelliſſet authorem.

Ab arbitrio primi parentis Adæ primã voluntate dei emanaſſe mundi linguam. Cap. LII.

ET vt huic operi maturum finem demus, non indecens fuerit iſtuc introducere mentionẽ primi parentis Adæ. Huius enim ab arbitrio, permittẽte deo, prima non dubiũ eſt humani generis lingua manauit, quæ alioqui hactenus vniformis, & vbique forte terrarũ par eſſet, niſi hanc ſpiritus dei in ædificatione Babylonicæ turris, in immenſas huius mundi linguas diſſecuiſſet. Scriptũ eſt enim quoniã in initio adduxit deus cũcta terræ animãtia ad Adam, vt videret quid vocaret ea: & omne quod vocauit eſt nomen eius. Nam & hic, vxorem etiã ſuã, quia ex oſſibus, & carne viri ſumpta eſſet, viraginem coram deo appellauit. Id quidem duplex nobis myſterium tegit. Primum, quod doceat ſtetiſſe in primo parente, & munere dei, primæ totius mundi linguæ voluntariæ inſtitutionis arbitrium, vt qui ſua ſingulis animantibus, iubente deo, nomina poſuerit. Secundum, quod teſtetur donatum à deo hominem eſſe libero arbitrio, impenſũmque illi hunc honorẽ, vt ſingulas mundi ſubſtantias, propter hominẽ factas arbitrariis nominibus imbueret. Sicut enim ab arbitrio dei, libera & ſpontanea ſubſtantiarũ omnium origo pependit, ita nimirum voluit ſanxitque deus, omniũ nominum, vocum, & appellationum originem ab hominis (nempe à primi parentis) arbitratu proficiſci debere.

In ſermone primi parentis, locandam eſſe omnium mundi linguarum ideam. Cap. LIII.

SI igitur ſcrutari quis volet ideam & metrum linguarum omnium, recurrat is ad ſermonem primi parentis, omni(non dubiũ eſt)ſermone & mundi lingua vniformiorem & eminentiorem. Hic eſt enim ſermo quo deus affatus eſt & Adam, & Heuam, & ſerpẽtem, in paradiſo voluptatis. Hic eſt in quo præcepit Noe viro iuſto vt ædificaret arcam ſalutarem, quæ humani generis reliquias tegeret ab imminente aquarũ cataclyſmo. Hic eſt quem in ędificatione turris Babel ſecuit ac diſtribuit in omne mundi labium. Hic eſt quo affatus eſt & Moyſem & populum Iſrael in ſolitudine, è flammantis montis cacumine. Hic denique eſt ſermo quẽ poſt reſurrectionẽ & aſcenſionem CHRISTI lapſus è cælo ſpiritus ſanctus, in ſimilitudine ignearum linguarum, apoſtolis refudit: & in cuius vniformitate hi poſtea per mundum dei voluntate diſperſi, coram omni mũdi natione, magnalia dei loqui in proprio cuiuſque gentis labio viſi ſunt. Quem enim ſermonem prius vniformem & vbique parem ſecuerat in turri Babel deus in plura, rurſum per ſpiritum ſanctum ſuũ hunc eundem in electis & innouatis apoſtolorum labijs recollegit, reuocauitque in ſuum vnum. Scriptum etenim eſt in prophetis, In illis diebus reddam terris labium electum, & lingua balborũ velociter loquetur, & plane. Quid ſibi quæſo hoc vult, niſi quia docet in fine caſtigandam diuinitus fore omniũ linguam, defecanda item, imò potius tollenda labiorum vitia, per quæ, dum millæ non linguæ ſenſim & tẽpore & loco ab ſuæ ideæ apice, & ideali amuſſi deſciuere, variarum tandem linguarum & idiomatum initia pepererẽ? Sed de differentia, & varietate linguarum, & vulgarium ſermonum dictum ſit hactenus.

Tabulæ breues Galli-

CANARVM VOCVM, DOCENtes quænam earũ factitiæ & arbitrariæ, vel barbaræ ſint, & quæ ab origine Latina manarint.

A & ſimplex litera, & Gallica vox eſt reſpondens Latinæ voci ad, vt in his liquet, A *moy*, ad me. A *luy*, ad eũ, vel ad illum. A *touſiours*, ad omnes dies. A *faire*, ad faciendum. Eſt etiam & A litera, vox Latina, præpoſitio ſcilicet, vt in his apparet, A me, A teipſo, A deo, A domino, A principe, A parte, A toto.

Ab Latina præpoſitio eiuſdem pene ſignificãtiæ cũ Latina præpoſitione A, & cum Gallica voce a. vt in his, Ab eo, Ab iſto, Ab illo, Ab angelo, Ab homine, Ab anima. Præponi hæc ſolet vocibus inchoantibus à litera vocali, non à conſonãte. Improbe enim quis diceret, Ab deo, Ab domino. Perinde atque præpoſitio A, præmitti ſolet inchoantibus à litera cõſonante. Male autem quis illam præire iuberet initium facientibus à litera vocali, ob vitãdam orationis cacophoniam. Non enim minus vitiũ dicere fuerit, A angelo, quàm ab deo. vel A homine, aut à anima, quàm ab belua, & ab principe.

Abs itidem Latina vox eſt, eiuſdem cũ cæteris duabus ſignificantiæ, adiecta ad vocis elegantiam litera S. Paucis hæc vocibus præmitti ſolet: vt in his, Abs re, Abs te.

Rurſum A, vt litera ſimplex, & Latina & Gallica vox eſt, penè vtrobique ſignificationis eiuſdẽ, ſed diuerſiſſime à prædicta eius ſignificatione. Nam & Latini & Galli promiſcue ea ipſa in exclamationibus vtuntur, vt in propheta Ieremia, A a a domine deus, ecce neſcio loqui: quia puer ego ſum. Ibi enim A, exclamatoriam vim habet, quam etiã vocalem Gallicus ſermo eadem in ſignificatione vſurpare crebro quidẽ & ſæpe admodum numero ſolet.

Ac Latina vox eſt, æquipollens cõiunctioni vel. Cui quidẽ Gallica vox reſpondet *ou*: vt in oratione, Ego ac tu, Siue ego vel tu, Id eſt inter Belgas *Mi ou ti*. Apud Parrhiſios, *Moy ou toy*. Quanquã & Ac, aliam interdum ſignificationem habet, qua ſæpe præmitti initio orationis ſolet, vt ibi, Ac tu ſi hoc egeris, conſulto facies.

Ah vox plus Gallica quàm Latina: & in doloribus atque in ad-

uerſis caſibus exclamatoriã habens vim, vt in his, *Ah le coquin, Ah le traiſtre, Ah le larron*. Sonat enim præſertim in diffamationẽ ſceleratæ perſonæ. Vix enim aliquando ipſa additur in indicium virtutis, aut ingenuitatis, aut perfectæ cuiuſpiam actionis.

Al nec Latina nec Gallica vox, Hiſpani & Arabes crebro ea vtuntur. Pluribus in Hiſpania locis poſitũ eſt nomen *Alcala*, idque ab Arabibus & Sarracenis manauit, qui quondã ex Aphrica omnes Hiſpanias præter Aſtures & Cantabros obtinuere: à quibus etiã vſque hodie, plurimæ eorũ vrbes ſua nomina habẽt. Eſt autẽ *Alcala* quod Gallice dicimus *la uille*. *Al* enim *la*: *Cala*, *uille*. Sonat etiã ſæpe inter Hiſpanos *Al*, id quod inter Gallos *A*, vt ibi, *Al muy ſenor*, *A mon ſeigneur*.

An vox Latina, interrogationis ſignum: cui per negationẽ reſpondendum. Gallica vox illi reſpondet *Ar*, verſa N in S. An hoc quod dixi feciſti? *Ar tu faict ce que iay dict?*

At vox Latina, æquipollens huic voculæ ſed, quæ ambæ diuiſiones quaſdam orationũ faciunt: carentque proprietate & reſponſu Gallicæ vocis. Gallica enim vox *Mais*, quæ ambabus ſuapte ſignificatione reſpondet, non ab illis pendet, ſed ab aduerbio modo deriuationem habet, vt in hac oratione, *Ie iray, mais que tu viennes aueeques moy*, Ibo, modo venias mecũ. Hinc vbique in Gallicis orationibus vſurpari ſolet *mais* pro At & pro Sed, vt in his, Nõ ego, at ille, id fecit. Non mihi, nec tibi, ſed diuidatur. Quæ Gallis ſonant, *Non moy, mais luy a ce faict. Ny a moy, ny a toy: mais quil ſoit parti*. Iungitur autem ſæpe At in compoſitione, vt in his, Atque, Atuero, Attamen.

Aſt etiam vox Latina, idem ſonans quod & At, perinde atque Ab & Abs. Nam adiectio literæ S, & ornatum vocis, & plenitudinem labiorum adauget.

Aut, vox itidem Latina, cui apud Gallos reſpõdet vox *ou* eiuſdem ſignificantię cum voce v[illegible] *toy, ou moy ſerons battu*, Aut tu, aut ego, vel tu, vel ego, vapulabimus.

De vulgaribus vocibus incipientibus ab A, quænam ſit Latina earum origo.

PLVRIMAE in vulgari Gallorũ ſermone ſunt voces incertæ originis, id eſt aut arbitrariæ & fictitiæ, aut exortę à barbaris, quas ſermonis Latini politia neſcit, nec eas Gallorum labijs infudit. Et ex aduerſo plurimæ nihilominus ſunt Latinæ voces quas vulgus ignoret, id eſt quibus par & reſpondens in ſermone vulgi vox deeſt. Et quia immenſa eſt ſylua

vocum ſermonis vtriuſque, nec vllo ſufficimus labore cunctarũ iſtiuſmodi in vtraque lingua reſpondentiam & diſſonantiam recenſere: ideo ſuperfluo parcentes labori, breuiſſimis tabulis, eiuſcemodi rei modum exequemur.

Abbe, ab abba Syra dictione, quæ latine patrem ſonat. A qua & abbas abbatis.

Aboeugle, id eſt cæcus, videtur dubiæ originis: ſed pendet à vocibus ab & oculus: quaſi aboculus & abortiuus oculis, id eſt ſine oculis, cadente B in V, & C in G.

Abiller, vulgo parare eſt, & veſtimentis indui: ab habitibus pendet, quos vocamus *Abitz*.

Abile, ab habili: id eſt in rebus gerẽdis promptus & expeditus.

Aie vox dolentis, barbara eſt: vel tracta à voce oſcito, quòd oſcitantes patulo ore hanc proferre vocem ſolent, quaſi laſſi & feſſi, vel animo ſoluti & ſupini.

Acheter vel *achater*, vel *aqueſter*: ab acquirẽdo, ſiue à quæſtu. Nam Ch & Q, magna affinitate iunguntur.

Acouter vel *aſcouter*, aut *eſcouter*, quod eſt audire, à voce Latina auſcultare, vel à Græca ἀκούειν.

Acheuer vel *acquieuer*, ab A, & capite. Eſt enim *acheuer*, *venir a chief*, id eſt venire ad caput, & finem negotiorum. Caput autẽ vitio labiorum vulgo eſt *Chief*, *Quief*, *Caboche*, & ab Hiſpanis *Cabeſſe*. Vicinia literarum parit vitia labiorum.

Accomplir, ab ac, & compleo: ſicut *Accombler*, ab ac, & culmine, quaſi ad culmen ducere.

Aiſe, pro læto vel bono ſtatu, pendet à verbo *Eſt*. vt in his, *Il eſt bien aiſe*, Ei bene eſt. *Il eſt a mal aiſe*, Ei male eſt. Vel pẽdet ab otio, labente O in A, & C (vt ſæpe accidit) in S. *Il prend ſes aiſes*, Sectatur otia.

Acchabler, quod eſt capere & prehẽdere, ab ac, & chamelo chorda, quaſi capere & attrahere in chordas & retia.

Agrape, quaſi *adrape* vel *atrape*: à qua *Agrapin*, ab ad & rapio, tãquam inſtrumentũ ad adripiendum, vel tranſpoſitione ſyllabarũ, ab harpagone telo in ſummitate adunco.

Agache non à pica, ſed ab ad, & garrio, quaſi adgarriens.

Adonques, ab A, & donec: ſed rei ſignificatio voci male quadrat.

Alauette vel *alouette*, ab alauda per V vocalem.

Affaictiue, ab ad & facto: quaſi in factis cautus, prouidus, ſecurus, & ſæpe fallax. Eiuſdẽ ſignificationis eſt *Affine*, qui agendarũ rerũ fines à longe prouidet. Item *Affile* & *Affronte* à filo & fronte.

Affuler, quod eſt cooperire, ac tegere caput: barbara vox origi-

nis incertæ. Niſi velit quis eam trahi ab a, & infula, quæ eſt corporis tegumentum. Nec eſt diſſimile veri, forte ita res habet.

Affoler, à vocibus *a*, & *fol*, quaſi infatuare, à quauis corporis læſione. *Fol* enim à fatuo dictus eſt: ſicut & *aſſoter*, ab a, & ſtulto: nam *ſot*, ſtultus dicitur.

Agu vel *aigu*, ab acuto: C in G corrupto.

Aigre, ab acri: C etiam duriore in G molliorem verſo.

Aiguille ab acu: à qua & aculeus *aguillon*, & *aguillettes*, molles ligulæ in extremitatibus æreos aculeos habentes.

Ahai, barbara vox tædentium: ab *a*, & *Aie*, voce etiam barbara.

Aler, quod eſt ire, ab ambulo: quaſi per ſyncopam, *ambuler*: ſuppreſſis in medio m & b. Vel ab aula, quòd in aula quiſque deambulet, vt ſit *aler* quaſi *auler*, & in aula ſpatiari.

Allier, ab ad, & ligo, quaſi alligare: quòd confœderati & amici mutuo adalligentur.

Ahenner, terras colere, & aratro proſcindere. Vide an pendeat à verbo arare: quia parum ſimiles ſunt ambæ voces.

Artois, regionis inter Belgas nomen: non ab Arteſio, ſed ab Atrebato vrbe pendet: vulgo *Arras*, quaſi *Arratois*.

Appointier, ab a & puncto: quia qui rem parant quàlibet, puncta eius omnia ſeruant.

Aſſaillir, ab ad, & ſalio, quaſi inſilire, & vim alicui inferre.

Auoir, ab habere: litera b, in v conſonantem demutata.

Auorter, ab aborſu: eſt enim abortiuum parere.

Aide, truncata vox, ab adiutorio deducta eſt, vel ab adiuuo.

Aiſne, maior natu: ab anno, quaſi Annoſior. Sicut & *Maiſne*, natu minor: & minus annoſus.

AnVVen, per V vocalem, ſignificat apud Belgas hunc annum. Et pẽdet ab duobus, ab hoc & anno. *Nous aurons anVVen treſbon ble*, Hoc anno triticum naſcetur optimum.

Anten, quod præteritum annum ſignat: ab ante & anno pendet, quaſi ante hunc annum.

Antenois, à ruſticis vocantur hœdi anniculi, præterito anno nati, quaſi ante annum, à voce ante.

Appuyer, inniti eſt: pẽdet autem à podio, quia podijs ad ea inſpectanda quæ extra domum fiunt, innitamur. Eſt enim podium, locus ad ſpectandum aptus, & prominens, vulgo *puy* vel *Appuye*.

Amis vulgo æquiuoca vox. Interim enim ab amico, interim ab amictu pendet. cũ ab amico, is eſt quẽ diligimus, & à quo diligimur. Cũ ab amictu, eſt ſacerdotalis capitis tegumentũ & velum.

Bailler, cũ tradere ſignat, à baiulo: quia baiulis multa traduntur, alio ferenda. Cũ autẽ *baillier* oſcitare eſt, incertæ originis eſt. Niſi orta ſit à vacillare, quod & ego crediderim: quia qui oſcitant, velut otioſi ad ſolem vacillant, & ſupini huc illuc ſe reuoluunt.

Bailli, etiam à *bailler*, & baiulo. quia & fert publicorum negotiorum onera, & ea alijs ferenda partitur.

Baniere vexillum, ab expando: quòd expanduntur eorũ telæ in aerem: ſed vitio labiorũ ſupprimitur litera D, & P vertitur in B. Eſt enim *baniere* quaſi *bandiere*. Inde *bende*, quod & ſignat telã vel pannũ ex quibus vexilla fiunt. Nec non & tropum ſeu globũ hominũ qui ſub eodẽ militant vexillo. Nàm & *bendiau*, diminutiuũ à *bende*, exiguum ſignificat pannum, quo chirurgi vulnerum cicatrices alligant.

Banis, id eſt exul, à voce *baniere*: quaſi qui exauthoratus eſt, ne militet ſub ſolito vexillo.

Banc, id eſt ſcamnum, barbara eſt vox.

Blanc, incertę originis: niſi forte ab albo, pmiſſis b & l ante a.

Bec id eſt roſtrum, vel à beccus, quod Phœnicum lingua eſt panis: vel à vulgari voce *beer*, id eſt hiare.

Beer, à ſola litera b pendet, quæ abſque oris hiatu nõ profertur.

Bac, quadrãgulare vas: forte à Baccho, id eſt vino, quòd in iſtiuſmodi vaſis exprimi olim & condi vina ſolebant.

Ble, vnde, neſcio: niſi à blado, id eſt frumento. Sed vide an bladum recipiant Latini, eſt enim vox peregrina.

Bleu, incertæ originis: quanquàm nonnulli ab ea voce fingant blauum colorem, quem aliter vulgo dicimus *pers*, tãquam à Perſis eo colore traducto.

Batre, à battuare Latina voce.

Baculer, à baculo, quo equi & famuli cæduntur.

Belitre, mendicus: tractum forte à Velitris vrbe Apuliæ: quòd forte eius incolæ ſuis finibus egreſſi, oſtiatim vitam emendicabant. Vel verius à blitteo, quod Latine res eſt vilis & nullius pretij. A blitto herba inerte, & nullius ſaporis.

Beguin & *beſgart*, barbarę voces, quib⁹ vulg⁹ hypocritas cõfingit.

Bigot, vox barbara, à Germanis quaſi *par dieu*: quòd hi quos vocant *bigotz*, ſint plus cæteris deuoti deo.

Bourrir, id eſt tẽpeſtas in aere: originis incertę à nautis deducta.

Balance, à bilance, quæ eſt ſtatera & trutina.

Bahuet, arbitraria vox equorum onera ferentium.

Blonc, id eſt cæſarie flaua, incertæ originis vox.

Bain, à balneo, tranſeunte L in I.

Bonet, capitis tegumentum: factitia & arbitraria dictio. forte à duabus dicta, *bon eſt*: quia tegere caput aduerſum catarrhos & pituitas bonū eſt. Hinc forte erroſa in medio litera S, *bon eſt* manſit *bonet*.

Bis, id eſt ater, vt *pain bis*, id eſt ater panis. Tracta eſt à latina voce bis, quòd panis biſcoctus, quo in nauibus vtuntur nautæ, ſit ater & furuus.

Bien, ab aduerbio bene: fracta e litera, vt ſæpe fieri ſolet in *ie*.

Bihay, quod eſt tranſuerſum & obliquum, arbitraria vox.

Blouque, a bulla quaſi bullula, quòd in his ad ornamētum apponantur bullæ.

Boule, id eſt globus, etiā à bulla: quòd bullæ in aquis à vento tumētes, inſtar globorū, ſphæricæ, & teretes ſint. Vel pendet à verbo voluo voluis.

Buffe, id eſt colaphus qui impingitur in faciē: à qua *bouffer*, *bouffis* & *buffelus*: dicitur a bucca & inflo, quaſi buccam inflo. Quamobrem dici deberet *buffle*.

Bouche à bucca, à qua & *boucher*, & *boucherie*: qui ea parant quæ pertinent ad buccam alendam.

Buche pro ligno, quod Belgæ *boiſe* vocant: incertæ originis: niſi deducta ſit a boſco, O in V cadente.

Branches qui ſunt arborū rami: à branchijs piſcium, quæ ſecundū ceruicē more foliorū, & ramuſculorū hiant, & branchiæ dicūtur, niſi placeat dici *brāches* à brachio, quia ſint arborū brachia.

Bren pro ſtercore, incertæ originis, Lemouici & ſuperiores Galli hac voce vtuntur pro furfure & glumis tritici, ſeu purgamētis farinæ, quòd etiam hominū ſtercora ſint & furfure plena, & colore furfurea.

Broque notū nomen & quid ſignet: pēdet à veru vel veruto, quaſi *veroque*, litera V conſonante, in b cadente. Hinc natū vulgi prouerbium, *Bon roſt, bon vin de broque en bouque*.

Borne id eſt luſcus, & hirquis oculis, vox incerta.

Boiteux id eſt claudus, incertæ originis vox.

Bout ꝑ cuiuſlibet rei extremitate vel fine, dubia vox: à qua etiā & *boutter*, id eſt trudere & impellere, pariter incerta.

Boue per V vocalē, id eſt lutū, dubia vox: ſecundū Belgas *bourbe*.

Boue per V conſonantē, id eſt penu vel ſubterraneus locus, etiā vox incertæ originis, niſi dicatur à *boua* ſerpente, in ſubterraneis locis latitante: aut à boatu, quòd in concauis locis vox altè boet & reſonet.

Beſgue id eſt balbus & pinguiuſculæ linguæ: vox dubia niſi velis à balbo deductam.

Bigle pro luſco, incerta vox.

Bigame vir qui bis nubit, à bigamo: γάμος enim nuptiæ ſunt.

Beianne pro inexperto, à vocibus *bec* & *gannio*, quaſi cui roſtrũ, velut adhuc recens ſit flauũ: quẽ colorẽ vulgus vocat *Gaune*, & *Iaune*: quod eius coloris ſint vulpeculæ quarũ peculiare ſit gannire.

Berg Germanica lingua mons.

Bruch, pons.

Burg villa, ab his tribus plurimæ Germaniæ vrbes nomina ſua habent.

Braire id eſt flere, incertæ originis vox, niſi pendeat à flere, mutatis F in B, & L in R.

Butin id eſt præda, vox arbitrio prædonum excogitata.

Breze carbones incenſi vel extincti. vide an à prunis manet: vox enim in initio alludit labente p in b. Ab hac voce *breze*, dicimus *bronze* eũ, qui carbonũ & prunarum nigredinem ab earum attactu contraxit, quaſi *breze*: tandem labio obliquante, *bronze*.

Bas id eſt inferius, à baſi pendet. Sunt enim baſes, ima columnarum ſuſtentamenta.

Boulengier piſtor, à vulgari voce *buleter*, quod eſt purgare ſeu cribrare farinã: ſed vox vtraque incertæ originis eſt, niſi forte pendeat à bulgis, qui ſunt ſacculi ſcortei in modũ perarũ, ad ferenda neceſſaria apti: quia & hi quibus cribratur, purgatúrve farina, ſimiles iſtiuſmodi bulgis ſeu manticis fiunt.

Bos vel *bois*, à buxo, vel (vt quibuſdam placet) à boſco. Buxus enim certæ arboris ſpecies eſt, vulgo *bouys*, folio ſemper virenti.

Bruit pro ſtrepitu, à brucis pendet: quia bruci inſectorũ volatilium genus, volatu ſuo ingentem ſtrepitum edunt.

Buſle animal notum, maius & fortius boue à bubalo. Huius animalis corio quippe præduro & ægre penetrabili, milites interdũ loricæ loco, indui in bello aduerſum tela & ſagittas ſolent.

Bruler videtur incertæ originis vox: ſed pendet à verbo vro & vrere, litera R in L cadente, quod ſæpe accidit.

Baron id eſt maritus, à viro pendet. Hac voce, Belgæ pluſquã cæteri Galli vtuntur. Nam Belgarũ mulieres, viros & maritos ſuos vocant *barons*. Meus vir, *Mon baron*. Apud iam multos hęc vox in titulũ dominij vſurpatur. Nunc enim ſæpenumero barones, quorundam locorum domini vocantur. Tractum à viro, quia vir pluſquam vxor in dominio reſpõdet. barones autẽ non Latina, ſed factitia vox eſt.

Broine vel *broigne*, tumor oris vel faciei, à broncis pendet. Nam broncos Latini vocant, qui producto ore & prominentibus dentibus ſunt.

Befroy apud Belgas turris ingens vel ſpecula, quæ in medijs vrbibus pro ſpeculandis vrbiũ incõmodis erigi ſolet: à duabus vocibus pendet *bee* & *efroy*, quaſi *bee efroy*. Eſt enim *beer*, vulgo ſpeculari. *Efroy* vero incõmodum, à fremitu: quia ab auditione incõmodi & mali, ciues infremiſcant & paueant.

Baiſſelette apud Belgas interdũ ancilla eſt, interdum omnis innupta puella. Vox videtur incertæ originis, niſi pẽdeat à baſio id eſt ab oſculo: quia ſæpe iſtiuſmodi puellis, à procacibus iuuenibus baſia dari ſolent.

Balet Parrhiſij ſcopam vocant, quam Belgæ *ramon* dicũt, ab arborũ ramuſculis ex quibus fiunt. Vnde pendeat vox *balet* incertum, niſi per ſyncopã A *batre vallet*: quia ſæpe filij & famuli his cæduntur.

C

Caboche, & ſecundum Hiſpanos *cabeſſe*, à voce Latina caput, verſa p litera in b.

Cloque & *cloche* à coclea, quaſi *cocle* inuerſis ſyllabis, quòd tintinabula parua in modum coclearũ, tereti ac rotunda effigie fierent: & à ſimilitudine tintinabulorum, etiam maiores cãpanæ eodem nomine *cloche* dictæ ſunt.

Clocher id eſt claudicare, ab eodem verbo pendet, ſyllabis vitio labiorum permultum eroſis.

Caillaulx ſunt lapilli à calculis dicti, qui in glarea fluuiorum quà iacent leguntur: identidem & *Galletz* vel *Caletz*.

Charmer, id eſt incantare, à carmine, quòd incantatores carminibus in veneficijs vtebantur.

Chemin, apud Belgas *Quemin*, à ſemita, cadente litera S, nunc in Ch, nunc in Q.

Couſin à cõſanguineo per detruncationẽ vocis, quaſi *conſanguin*.

Cuidier à credo: *Ie te cuidoie homme de bien*, Credidi te hactenus hominem probum & fidelem.

Coper à κόπτω quod eſt incido, & κοπὶς ſecuris.

Chere qua voce pro hilari vultu Galli vtũtur, à Græca voce χαῖρε, id eſt aue pendet: quia in prima ſalutatione oſtendi hilaris hoſpitum vultus ſolet: hinc *chere*, vulgo etiam tranſijt in ſignificationem conuiuij, & quidem opulenti.

Camelot ſericeus pannus à capreolis, ex quorũ pilis fit. Eſt enim [illegible], corrupta voce quaſi *caprelot*.

Congie id eſt abeundi licentia à congiario, quia congiariũ id eſt donum, emeritis militibus domum abituris, impendi olim à ducibus ſolebat.

Choſe à Parrhiſijs, & à Belgis *Coſe*, pẽdet à cauſa. Nam diphthõgus au, ſæpe redit in ſonum literæ o, vt pauper *poure*.

Crier id eſt clamare, incertæ originis vox. vide ſi forte à καλέω id eſt voco, pendet: vel à verbo clamo, labente l in r, vt ſæpe fit.

Cren id eſt fiſſura, à creno quæ eſt inciſio.

Craindre id eſt timere, incerta & dubia vox.

Croquier incertum vnde, niſi à crocitãdo, quòd eſt coruorum, quòd eiuſmodi ſonum, fractio lignorum æmuletur.

Crachier id eſt ſpuere, incertæ originis, niſi à ſimilitudine & alluſione ſoni.

Caquet a cachinno, vnde & cachinnator *quaquetrean*. Nam ch ſæpe labitur in Q.

Chauſſie ſecundum Belgas *Cauchie*, ſtrata lapidibus via: pendet à calculis, id eſt lapillis, quibus quondam publicæ ſternebantur viæ, vel a calcibus, quod ſolidum calcantibus præbeant iter.

Caque id eſt vas vini, à voce cadus cadi.

Croter, quòd eſt à luto, veſtimentorum oras & fimbrias inquinare: a cruſta, quòd vbi hæc immunditia ſiccatur, in cruſtarũ ſpeciem obdureſcat.

Coin id eſt angulus vel anguli vertex, à cono, vnde & *coignet*, id eſt *anglet*.

Cuin ferrum quo cũ malleo ſecantur vſtilia ligna, à cuneo non à cono.

Coquin à coquina, quia amãs coquinam, & apud caminum atque titiones inertiam fouens.

Camion idem ferè quod & *caignon*, id eſt puſillus & paruus, à catamitho, id eſt puero meritorio.

Cair vel *Chariot* à curru.

Car vel *quair*, notæ ſignificationis, à voce quia, & idem ſignat.

Choulx vel *choles* vel *coles*, à caulibus, quaſi caules. Belgæ enim propius quàm Franci alludunt Latinitati, proferentes C, abſque aſpiratione.

Cordonanier per V vocalẽ, id eſt cerdo & alutarius, non à corio vt quidam putant, ſed à Corduba Beticæ Hiſpaniæ vrbe pendet: quia ab ea vrbe deportari ad cæteros ſolet pretioſi corij ſpecies, quòd vulgo à Corduba vocamus *Cordouen*, per v vocalem.

Cliche oneribus ferẽdis aptæ, à clitellis, quas aſini dorſo ferunt in

ſorum ſolent.

chaſſer expellere, à verbo quaſſare idem quod *caſſer*, vt in militibus, cum à ducibus exauthorātur: nos Belgæ dicimus *cachier*. Ab his *chaſſe* & *cache* interdũ pro venatione, interdum pro militum in bello fuga, nonnũquam pro loculo in quo ſanctorũ oſſa in templis conduntur, ſed tunc dicitur à Capſa.

court vox multũ ęquiuoca & dubia: dici etenim poteſt à curto id eſt breui, à curſu, à cura & à chorte. Nã de ligno breui dicimus vulgo, *Il eſt trop court*: de currẽte, *Il court bien*: vel de fluuio, *le cours de leaue*. A Cura dicim⁹, *La court du Roy*, Regis curia: ideo vt nõnullis placet, quia ibi regni curæ & negotia tractentur. Plurimi per vniuerſam Galliam, præſertim Belgicam, pagi in hac voce *court* finiunt: quod quidem non à curto pendet, non à curſu, non à cura: ſed à chorte, id eſt loco parietib⁹ cincto, ob animalium præſertim volatilium vt anatum, gallinarum, & anſerũ cuſtodiam: vulgus noſtrum hodie quoque hæc loca *court* appellat: *Remaine les oiſons en noſtre court*, Reduc anſeres in chortẽ noſtrã, non in curiam dicẽdum. Nam & ab eius loci ſimilitudine hodie etiam ruſticæ mulieres apud nos ſuos ortos *courtis* vocãt. Et ab ea voce, ſimile veri eſt ortos dici, detruncatione primæ, & capitalis literæ C, vt non rarenter accidit: quos alij vocãt immutatione labiorũ *Gordins* vel *Gardins*, durioribus literis C & T, in G & D molliores cadẽtibus: Parrhiſij verſa G, in I molliorem, dicunt *Iardin* pro *Gardin*, ſicut *Ioie* pro *Goie*.

Cauechure à capite, capiſtrum quo animalium capita ligantur.

choiſir apud Parrhiſios, apud Belgas *Quoiſir*, quod eſt inter multa promiſcue eligere meliora, a verbo Quęro & Quæſito pẽdet: inde *choir* & *Quoir*, ſelectio & meliorum diſquiſitio: *Iacheteray ces pommes, mais a mon choir*, Emam tua poma, ſed diſquirẽdo, ſeu quæſitando meliora.

Chartreux, Chatreux, Chartier, Charetier, Chartrier, voces penè in labijs ſynonymę, ſed lõge ſignificatis diuerſę. *Chartreux*, Chartuſij à Chartuſia ſolitario inter Alpes loco. *Chatreux* Caſtrator, & teſticulorũ reuulſor. *Chartier*, qui chartas cõficit: aut vendit. nam chartę vulgo *Chartes* vel *Quartes* vocãtur. *Charretier* à voce *Charrette*, is qui quadrigam vel carrucã vehit. *Chartrier* pro morbulento & perpetuo languẽte, vulgo vſurpatur: tractum à carcere, quod eo pacto in grabatis lãguentes, perpetuo videntur carcere damnati, & iugiter domo clauſi. Eſt enim carcer *Chartre*. *Il eſt en chartre perpetud*, In perpetuo carcere eſt.

Carue, Charue, Charrue, apud diuerſos idem, nempe aratrum: non tamen ab aratro, ſed à carruca pendet.

Chapeau, hirſutum ac villoſum capitis tegumẽtum, à capite vel à capillis, quòd caput & capillos tegat.

Chief etiam vel *cef* caput eſt, & à capite pendet.

Cheueux pro coma & crinibus, à capillis dicũtur: Belgæ dicunt *Cauiaux*, litera P, in V conſonantem labente.

Croche, pedum paſtorale epiſcoporum, attinẽs ad ornamentum dignitatis: vnde autem pepẽderit, non conſtat: nam nulli Latinæ voci alludit.

Couſſin genus puluilli, quaſi *culcin*, labente C in duplex S, à culcitra pendet.

Chaulme, qua voce Parrhiſij & Franci pluſquã Belgi vtũtur pro ſtipula aut ſtraminibus, quibus agreſtes domus in Gallia multis in locis tegi ſolent: pendet à calamo vel à culmo.

D

Debuoir à debere pendet, litera B, in V conſonantem cadente.

Duit à verbo decet, quãquam in compoſitione prodeat à verbo duco, vt *conduict*, *introduict*, id eſt conductus, introductus.

Deduict pro ſolatio à deducto, quia ad ſolatia deducimur.

Dehors ab eo quod eſt déforis: nam & Hiſpani dicunt *defors* vel *defores*.

Diſner à diurno, quod eſt victus vnius diei, quem manuoperarij manuũ labore emercãtur, quaſi *diurner*, vel à die quaſi *dieſner*.

Droict à directo, quaſi de recto.

Donques quod eſt ergo, à voce donec, quanquam eius ſignificatio male alludat.

Dont à vocibus de & vnde: vel à ſimplici voce vnde. *Dont viens tu*? Vnde venis?

Domte, id eſt *ſimple*, à domito tanquam domitus & ſimplex: vt hic, *Il eſt bien domte*, id eſt multum ſimplex & edomitus eſt.

Deuant à vocibus de & ante, id eſt deante.

Derriere à de & retro.

Depuis à vocibus de & poſt, id eſt depoſt.

Drap, id eſt pannus, incerta vox, forte barbara.

Deſlabrer, id eſt *deſchirer*, ſeu lacerare, à verbo deglabro. Alij dicunt *delaſurer*: nos Belgæ *deſlabrer*.

Dun, vel melius *Dum* per M in fine: olim Galli dixerunt collem tractũ à dumo: quòd ſæpe dumi in collib⁹ & editis locis innaſcã-

tur. Hinc plurimæ per Galliam vrbes collibus vicinæ, aut in collibus extructę, finem nominis faciunt in dum: vt, Nouiodunum Lugdunum.

Detz, id eſt taxilli luſorij à teſſeris, decurtatione vocis, & litera T verſa in D molliorem.

E

En Gallica vox reſpondens voculæ in: nam I & E, vitio labiorum ſæpe in alterutrum labuntur.

Enfer, quod nos Belgæ vocamus *infer*, ab inferno.

Enhort inhortatio. *Enclos*, Incluſus.

Eſguiere, vas ad infundendã menſę aquam, ab aquaria dicitur, verſis A in E, & Q in G.

Enfermer eſt intus claudere, ab in & firmo: Eſt autem infirmo, verbum alterius ſignificationis, morbo & infirmitati quadrans.

Eſchut quod nos Belgæ dicimus *Eſquient*, ab in & cado, ſiue ab integro verbo incido: inde *Il eſcherra, Il'eſquerra*, id eſt eueniet.

Eſſuer, id eſt ſiccare, à verbo exicco.

Eſperons pro calcaribus, à ſphęrulis quæ extremitatib⁹ eorũ inſunt: nam ſphærulæ vulgo *eſperes* vocantur.

Eſbatre, id eſt ſpatiari, & ab eodem verbo tractum eſt, verſa litera P duriore, in molliorẽ B, & adiecta, vt fieri ſolet ante omnẽ dictionem, litera E, vt ſcribo, *eſcripre*.

Eſcars id eſt parcus, quaſi *Eſgars*, vel *Eſuuars*, à videndo, quòd is in re ſua nimium ſit oculatus & vidẽs, à vulgari verbo *garder*, ſiue *VVarder*.

Eſcaille, id eſt teſta, à ſquamma magna vocis immutatione.

Eſquume à ſpuma, verſa P litera in Q.

Eſtalons pro ſtolida & inutili arborum fruticatione à radicibus naſcente, ſtolones & à ſtolonibus dicuntur.

Eſpingle nota res, ſubula muliebris ornamẽti: ſatis enim à ſpintere alludit.

Enclume, ab incude, magna etiam immutatione vocis.

Eſtandart, id eſt vexillum, quaſi *extendart*, ab extendo, quòd in aerem extendatur.

Eſſelle vel *aiſſelle*, ab aſſere: Parrhiſij dicunt *air*.

Engignier, id eſt fallere, ab ingenio: Belgæ dicunt *Enguignier*, vel *enguinander*.

Eſteulle qua voce Belgæ plus cęteris Gallis vtuntur: pendet à ſtipula, qua ruri, & in agreſtibus villis, tegi domus ſolent.

F

Fee iuxta fabulã antiquitatis à fato. Erant enim mulieres hominibus fata bonæ vel ſiniſtræ fortunæ, aut dantes aut annuntiantes.

Faſchiet, inde *faſcherie*, à faſtidio.

Fol quaſi *faul*, à fatuo.

Fier, id eſt ſuperbus, à fero & feroci: nam E, ſæpe cadit in *ie*.

Felle eiuſdem ſignificationis, à felle: nam qui multum habet fellis, & iracundus eſt: vulgus enim *felle* vocat. Fiel etiam à felle pendet, ſicut & à Melle, *miel*.

Febue per v conſonantem, à Faba.

Febure per V etiam cõſonantem faber: nam ſæpe cadit A Latinum, in E vulgare.

Foeu à foco, quòd in foco ignis fiat: & ſignificat vulgo ignem. Nam vulgaris vox nulla, igni Latinæ voci reſpondet.

Foeulx ſpecies arboris & facile ambuſtibilis ligni, à fago.

Fi vel *phi*, quam vocem aduerſum tetrũ odorem vulgus exclamans in ore habet: pendet à fetore vel à fece.

Faulx à falce. eſt & *faulx* à fallaci, id eſt doloſus & doli plenus.

Fain vel *foin*, per N, à fœno.

Faim per M, a fame.

Fourre & *fourrage*, à farre.

Flaiaux à flagro & flagello.

Fraper incerta vox, qua vulgus cædere ſignat.

Froter, à fricando.

Friant id eſt delicatus, vel incertæ originis eſt, vel dictus à verbo Frigo frigis, à quo frixuræ ciborum deliciæ, quòd eiuſmodi frixuras is amet, quem vulgus *friant* appellat.

Fagot quaſi *faſgot*, vel *faſcot*, à faſciculis: ſunt enim lignorum faſces vel faſciculi.

Feſſes, id eſt nates, vel à veſſica dicũtur, labẽte V in F, vel à feſſo, quòd feſſi longa deambulatione, in his molliter ſedent.

Fermer, id eſt claudere, à verbo firmo: quia quæ clauduntur, ſera & vectibus obfirmantur.

Fromage Caſeus, à vulgari voce *fermer* pẽdet, quaſi *fermage*, quia claudat menſam. Nam pene apud omnes in exitu mẽſę, poni caſeus inter bellaria ſolet, tanquam claudẽs & obfirmans tam menſam, quàm ſtomachum.

G

Gaber, id eſt irridere, arbitraria vox.

Galler, id eſt verrere, à callis manuũ, quòd calli ſint aſperi, & ad verrendam molliorem carnem plurimum apti. Calli autem vulgo *galles* vocantur.

Gaſter, quod nos Belgę dicimus *VVaſter* à vaſtando, litera V cõſonante, in G vel in VV cadente.

Guienne regionis in Gallia nomẽ: ab Aquitania pendet, quaſi *Aquiẽne* detrũcata litera A, & ſuppreſſa litera T, & verſo Q in G.

Gambe, Frãci dicũt *Iambe*, à Gręca voce *καμπὴ*, quæ flexionem aptam tibijs ſignat: inde *gambier*, ambulando recreari.

Gauffre, libi genus, vox arbitraria & ficta.

Galifre pantolabus, qui plurimum edit, etiam incerta vox.

Garſon vel *garchon*, id eſt loquax, & infidus à garriendo, quaſi *garrion*: quod vt plurimum locutuleij & multa loquentes, ſint infidi & inopes.

Grange, horreum in quo grana conduntur à grano: & deberet ſcribi *Granie*, per I conſonantem: ſed I vt ſæpe fit, ibi vertitur in G. Parrhiſij dicunt *Granche*.

Gacquieres qui ſunt ſulci agrorum aratro proſciſſi, & non ſatis vide vnde dicantur: niſi ab agris, quaſi *Gagrieres*. eſt enim veriſimile eam vocem ab agris dici, ſed vitio labiorum ſic corruptam vt pene origo eius ignoretur.

Greſle à grandine, nos Belgæ dicimus *greſil*: eſt etiam *Greſle*, à gracili, id eſt tenuis & delicatus vir.

Grappe, id eſt vua, vel *grappe*, id eſt immunditia, à qua *Grappeux*, ſordidus: vtrinque incertæ originis vox, niſi dicta ſit (quod & veriſimile eſt) à crapula. Nam nos Belgæ dicimus *Crape de roiſin*, & *Crapeux*, id eſt pinguis & ſordidus: forte etiam à craſſo.

Geſir à qua *giſte*, à verbo iacere, verſis I in G, & C in S, vt ſæpe accidit.

Gaule, id eſt pertica, & fuſtis longus, incerta vox.

Groin pars anterior capitis porcini, à verbo Grunio, quia ea parte porcelli gruniunt.

Gron, id eſt gremiũ, & ab eo deducitur, éſtque proprium mulierum, Franci dicunt *Geron*.

Gruis inter Belgas furfur & purgamẽtum farinæ, quod Parrhiſij vocant *Son*. Lemouici *bren*: omnes vero hæ voces, incertæ originis ſunt.

Gueule vulgo os, à gula: *Gargatte* à gurgulione: *Gorge* & *Goſier* à gutture.

Guet, *Guide*, & *Guidon*, à videndo.

Guetz & *VVetz*, à Vado.

Gantz vel *VVantz*, pro chirothecis, vox originis dubiæ. Noſtrũ vulgus etiam eas vocat *mouffles* incerta dictione.

Genchiues ſunt gingiuę, litera G, in Ch labẽte, & ab eis dicunt.

Gay pro nota aue à Graco, vel Graculo. Hinc & *gayolle*, auium cauea, ſeu locus in quo claudi aues ſolẽt: hinc & *Gayoler* multum loqui, à ſimilitudine graculi. Vſurpant etiam nunc multi vocem *Gay*, pro læto & iucundo, quia qui multa loquuntur, læti & iucũdi ſunt, quanuis forte alijs permoleſti. *Ie ſuis gay, ie ſuis ioyeux.*

Gal[illegible], id eſt lætus & incurius, neſcio vnde, niſi à Gallica voce *gay*, quaſi *gayolant*, id eſt multa dicens & promittens, ſæpe autem numero fallens.

Gouge aliter *vouge*, ſpecies venatorij teli, ex his quę hieſa vocãtur, & ab ea voce pendet.

Gratter quaſi *granneter*, id eſt verrere & ſcabere: *Graue* item & *Granner* & *Grauer*, quod eſt ſculpere, vel incidere in lapide, vel in ligno: *Gripper* item *aggripper* & *Griffer*. Hæc omnia eãdem à Græca voce γρυπὸς originem habent. Grypus enim per ſimplex P, dicitur naſus aduncus, ſiue curuus & aquilinus, quòd adunca omnia ſint ad ſcalpendum idonea.

H

Hain ab hamo piſcatorũ, ſed vulgus abſq; aſpiratione profert *le Ain*.

Hen, vox male intelligentis, & eiuſdem dicti reſumptionem poſtulantis, ruſtica eſt & incerta.

Hault ab alto, ſed vulgus eam aſpirat præter Sabaudos, à quibus leui labio profertur *ault*.

Hay, huir, ho, voces ruſticorum equos adurgentium, & arbitrariæ ſunt prorſus.

He, agreſtis vox alterius interpellatoria, & originis arbitrariæ, *he he*, quod aiunt, *parle a moy*.

Ha ha ha, arbitraria vox ridentium, à ſimilitudine, & ab ipſo affectu naſcens.

Ho ho ho, contraria vox flentium, etiam ab affectu ipſo dolentium, tracta in vſum.

Harle quod Franci vocant *halle*, naſcens à calore ſolis, albidam cutem æſtate tingentis, incerta vox.

Harpe cithara, etiam vox dubiæ originis, niſi pendeat à voce Græca ἅρπη quæ eſt enſis falcatus.

Hart & *harcelle*, ligamen ſeu vinculum ab arcẽdo, quòd eo multa coerceantur: hinc *Hardee* onus ligatum : & *harceler*, iniuriam inferre.

Hardis ab audace, vel ab animi ardore, quaſi ardens & nihil timens: inde *hardeau*, puer male indolis, & audax.

Happer, id eſt capere, arbitraria vox.

Houer per V conſonantem, id eſt lætari, ab ouare.

Hurler ab vlulando, quaſi *vluler*, vt ſolent lupi.

Hoſte, id eſt hoſpes, & ab eo oritur: nam & Hiſpani dicunt *hoeſpe*, ſeruantes literam P, quam vertimus in T.

Honte, id eſt verecundia, vox dubia, à qua *honteux*.

Hair, à quo & *haine*, id eſt odium, incertæ originis vox.

Houſeaux pro ocreis, vox fictitia & incerta.

Hanter, id eſt frequẽtare & aliquo in loco verſari, dubiæ originis vox.

Humer, id eſt ſorbere, à ſumo quaſi *exumer*: nam litera S, vertitur in aſpirationem.

Helas, compoſita vox à duabus *He* & *las*, quæ ſunt dolentium. *He* alterius citatoria eſt, *las* vero dolentis & lugentis, ob quoduis incommodum.

Heur, id eſt proſperitas, cui contrarium *Malheur*, à quibus *heureux*, & *malheureux*, ab hora pendet: quia quondam aſtrologi proſperam vel ſiniſtram fortunã, ſingulis ab hora natiuitatis & horoſcopo præuidebant. Hinc ſtolidum vulgi prouerbium hòdie iſtud habet, *Il n'ya que heur & malheur en ce monde*: tanquam ſubdita ſint omnia fato. Belgæ dicũt, *horeux*, *malhoreux*, Latinitati propiores.

Haſche, militaris teli genus, ab haſta pendet: à qua & *haſcher*, id eſt ſcindere: veru quoque, in quo carnes igni aſſantur, haſta dicitur, à qua pendet.

Haſter, id eſt feſtinare: quia quæ in veruto ſiue haſta, carnes aſſantur, citius coquuntur, quàm hæ quæ in olla elixantur.

Haren, piſcis halec, vide vnde: non enim reſpõdet voci Latinę.

Herault qui ſingularis mitti legatus ſolet à regibus ad reges. Vide à qua voce Latina, niſi forte ab hero, id eſt domino, vel ab heroe.

I

Iaſer vel *Gaſer*, id eſt multum loqui, à verbo cauſari, quaſi *cauſer*. Nam nos Belgæ etiam dicimus *cauſer*: ſed litera C, tranſit in

G: & G in I apud Francos. Franci enim loquacem vocant *Iaſeur*, nos Belgæ *Cauſeur*.

Ia per I conſonantem, id eſt cito, à vocula Iam.

Iongleur à Ioco, & ioculatore, quaſi *ioculeur*.

Iamais à vocibus iam & magis, quaſi iam magis: & eſt ſignificationis addendæ negationi, vt iam magis non veniam huc, id eſt, abhinc non adero.

Ialoux, id eſt zelotyp⁹, à zelo labaſcēte litera Z in I cōſonantē.

Ie per I conſonantē, id eſt Ego: & deducta eſt ab ego, fracta E litera in *Ie*, vt ſæpe ſolet. Belgæ interdum pro *Ie* dicunt *Iou*: *Quen puis iou mais?*

Il à voce ille pendet, & ei reſpōdet. Igitur iſte, ipſe, Latinæ voces vulgaribus ſibi reſpondentibus carent.

Iay tractum eſt à vocibus, *Ie*, *ay*, id eſt, Ego habeo.

Ieu à ioco, ſicut *feu* à foco: inde *iouer*, quod eſt iocari. Nam vox ludus aut ludere, vulgarē non habet vocē ſibi reſpōdentem.

Ioye, quaſi *Goye* à gaudio. Nam Belgæ velut Latinis propiores, *Goye* dicunt, inde *Ioyeux*.

Ioli, id eſt feſtiuus & lætus, à voce vulgari *ioye*, & à gaudio.

Iour magna immutatione ſui, pendet à die, ſuppreſſa litera initiali, deinde *adiourner*, quaſi *adiurner*. Sunt qui velint vocem *iour*, pendere à iure: & veriſimile eſſe poteſt, ob maximam ſui alluſionem: ſed citius crediderim à die dici. Nam *adiourner* ſeu vocare in ius, eſt dicere diem.

Ius inde *verius* per I conſonantem, à iure herbarum, id eſt ab expreſſo earū liquore pendet: vnde & iurulēta herba, iuris plena.

Iouer apud Parrhiſios per V vocalem, apud Belgas per V conſonantē: hæ ſunt quas Latini genas vocāt, & ab ea voce pendēt.

Iouſter & *Iouſtes*, hilares militū palæſtræ, à voce iuxta: quòd in his aduerſi & ſeiuncti milites, fiant tandem iuxta ſe, in lancearū colliſione ac diruptione earum. Poſſunt & à verbo iungo dici.

L

La id eſt illic, & pendet ab ea. Franci dicunt *illec*, hactenus Latinæ voci propiores. Aliquādo vox *La*, alterius eſt ſignificationis, nempe exclamatoriæ in euētum alicuius mali: & tum reduplicatio illius ab effectu fit, vel triplicatio, vt *la la la: Ie le diſoie bien, que ainſi adueindroit*. vel, ab exultatione correctionis alterius, qui ſcelerum pœnas luit: vt *La la la, quil eſt bien employe*.

Laſche, id eſt remiſſius & lentus, à laxo: inde *Laſcher* & *Laiſſer*, id eſt

laxare. *Laiſſe ta bourſe*, *Laſche la corde*, paulo diuerſę ſignificationis videntur: ſed ab eodem verbo laxo pendent.

Laſcher à laqueo, inde & *las*. *Ie le tireray en mes las*, In meos hũc adducam laqueos.

Las, vox dolentis & lugentis, à qua dicta eſt cõſici *Helas*, etiam dolentis vox.

Le, communis eſt Gallorũ articulus, qui omni præmitti rei ſolet: *le terre*, *le feu*, *le ciel*. Franci in fœmininis dicunt *la*: vt, *la dame*, *la chambriere*, *la terre*. Hiſpani eius literas inuertunt: nam *el* pro *le* dicunt, *El cielo*, pro *le ciel*. *El fuego*, pro *le feu*. *El maeſtro*, pro *le maiſtre*. Id & Itali faciunt.

Loir animal, id eſt glis à glire, ſuppreſſa & retenta in labijs litera G, quaſi *Gloir*.

Loiſir, pro ocio & agẽdi ſpatio, ex duabus *le*, & *oiſir* pẽdet. *Oiſir* autem ab ocio, litera C, in S cadẽte. *Ie nay loyſir de che faire*, Deeſt ocium id faciendi.

Lumbre ſecundum Hiſpanos, id eſt lumen: & à lumine pendet. Nam Hiſpani in medio dictionum M habentium, ponunt B: vt homo, *hombre*: fames, *ambre*: ſumma, *ſombre*.

Layette, ligneus loculus, à lagena, quãuis ad aliud, vt ad amphoram lagena trahi videatur. *Layette* autẽ fit ex ligno, in qua chartæ reponi ſolent.

Laigne, vſtibile lignũ à ligno. Nam ſylua & nemus, Gallicam vocem ſibi reſpondentem non habent. Neque etiam *bois* Gallica vox, reſpondentem Latinam, niſi ab his qui fingunt boſcũ: quod vix eſt in vſu. *Laine* autem dicitur à lana.

Lart, ſuilla caro, à lardo vel larido: inde *lardier*, ſcriniũ in quo eſculenta quæque mulieres domi condunt.

Let, id eſt turpis ſeu deformis, vox incerta, carens origine Latina, perpende vnde deducta ſit.

Laict a lacte, inde *allaicter*, allactare.

Loirrer, quod propriè eſt auium accipitrum, & *loirre*, à loro, id eſt cingulo pendet. Lorum autem à Græca voce λωγὸν pendet: quæ eſt cingulum, vel quodcunque rerum ligamen.

Leſſiue, à lixiuio quæ eſt aqua in cineribus cocta: ibi X cadit in geminum S, vt ſæpe fit.

Lamper à lambendo, cadente P in B: inde *Lopin* & *lopineux* ab eſcis lambendis.

Lauxois, regionis in ducatu Burgūdiæ nomen: ab Alexia vrbe, quam diu obſeſſam, Iulius Cæſar tandem cepit, cum Vercingentorige rebellionis Galliarum authore & duce.

Lant, Germanica lingua, terrā vel patriam ſignat. Et ab ea voce, nonnullis Germanorum regionibus incidit nomen, vti in his liquet *Hollant*, *Zelant*, *Flant*, quæ hodie *Hollandre*, *Zelandre*, *Flandre*. *Iſlant*, *Engroendant*.

Liſiere, id eſt extremitas cuiuſcunque rei, vox deducta ab ora, quaſi *les ores*, *&* *les extremitez*: *Liſiere Dalemaigne*, *les ores Dalemaigne*. Antiqui enim Galli *li* pro *le*, dicebant.

Luyſeau, vas ligneum, vel lapideum, quo ſub humo conduntur defuncti à loculo.

Licol, capiſtrum equorum, quaſi *ligol*, id eſt ligaculum, vel *liecol* ligans collum.

Ladre, leproſus, & à lazaro per vitia labiorum pendet, non à lepra. Itali lepram vocant, *Li mal ſanct Ladri*: Hiſpani furem vocãt *Ladre*, à latrone, litera T duriuſcula, in D confinem, ſed molliorem verſa. vulgus Gallorum *ſainct Ladre*, vocat Lazarum illum pauperem de quo Dominus diuitis parabolam confinxit. Cuius ſtantis ad oſtium diuitis vlcera canes lingebant, qui mortuus portatus eſt ab angelis in Abrahæ ſinum, ſepulto diuite in inferno. Ab hoc Lazaro ſumptum nomen *Ladre*, quaſi *lazre*, verſa litera Z in D.

Lourche, per V vocalem, vide in dictione *culier*, in litera C.

Louſche, apud Francos *cocles* eſt, & vnoculus: vel is qui obliquis limiſve oculis inſpicit, quem Belgæ vocant *VVarlonque* & *borne*, Pendet autem à luſco.

Lourd & *lourdau*, à ludo. Eſt enim is qui in ludo, vt in palæſtra agreſtis, ruſticus, & improbus habetur.

Loir glis, & à glire pendet, ſuppreſſa capitali litera G, notum animal, tota hyeme dormiens nec edens.

Lurcignol, vel apud Parrhiſios corruptiore labio *Roſſignol*, Philomela auis: & à luſcinia ea vox pendet.

Lye, fex vini, vel à Lyæo, id eſt Baccho pēdet, vel à λύω Græco verbo, quod eſt diſſoluo, quia cum in vini dolio peruenitur vſque ad feces, ſoluendum ſit dolium.

Lieue, per V vocalem apud Gallos ſpatium duorum millium paſſuum, à loco pendet, quaſi *lieu*: quia de loco in locum, de pago in pagum, id ſpatij plærunque numerari ſolet.

Leal, à qua voce & *leaulte*, pendet à lege: quaſi *legal*. Nos Belgæ dicimus *loyal* & *loyaulte*, qui etiam legem vocamus *loy*: ſicut & regem *Roy*.

M

Mal, à malo, vt opponitur bono.

Mat, inſigne lignum, à malo nauium, id eſt ab arbore, à qua nauium vela pendent.

Ma, *me*, *mi*, *moy*, *mon*, *mien*, notæ voces, & vnde oriãtur, & apud quos in vſu.

Mait, vulgo triplicem ſignificationem habet: aliquando reſpondet voci magis, vt hic, *Ie nen puit mait*. Aliquando voculæ ſed, vt hic, *Ie iray*, *mait tu y uiendras auſſy*, Ibo, ſed & tu venies. Aliquãdo *mait*, eſt vas ligneum prægrãde, in quo mulieres pinſunt farinam ex qua panes fiant.

Malle, intra quam itinerariæ veſtes ſolent claudi, à mantica pendet: *Beſache* autem in qua feruntur cibi à *biſacco*, id eſt à dupli ci ſacco, ante & retro.

Maigre, à macri, ſicut *aigre*, ab acri.

Mengier vel *mangier*, & inter Belgas *menier*, à verbo mãduco vel mando, ſuppreſſa in medio litera D.

Mande, pro ſporta, etiam à mãdo mãdis pẽdet: quòd in ea portentur quæ pertinent ad cibum & ad mandendum.

Milam, auis rapax, è genere accipitrum, Miluus.

Mithre, tegumentum inſigne, quo epiſcopi ad ornamentum dignitatis caput tegunt: vide vnde pependerit. Mithram Perſæ ſolem vocant, & adorant: perpende ſi quid alluſionis ibi eſt.

Meſtier, & inter Hiſpanos *Meneſter*, tracta vox à miniſterio.

Monſtier, quondam à monaſterio, nunc vulgus non ſolum monachorum phana & delubra, ſed & omne templũ vocat *monſtier*.

Meſchant & *Mechanique*, tracti à Græco ἀπὸ της μηχάνης, quod inuentorem ſignificat: nunc *Meſchant*, vilis & contemptibilis perſona eſt, tanquam is qui mechanica arte quæritet victum. Et eouſque obſorduit iam hęc vox, vt nunc ſonet *meſchant*, tantum in malum.

Meſchine ſeu *Meſquine*, ancilla, etiam originem habet Græcã eandem quam diximus nunc.

Monſchier vel *monſquier*, à verbo mungere, vel à muco narium. Eſt enim detergere mucum è naribus ſtillantem.

Marmouſetz, ſtatuſiculæ ſunt marmoreæ, vel ex quauis materia, dictæ fortaſſe à marmore: quod in domibus magnatum in marmoribus ſculperentur.

Marmos, animalia quæ ex Aphrica, Mauritania ad nos deportantur, à quibus dicti *marmouſetz*, à Mauris.

Maſquier vel *maſcher*, à verbo maſtico pendet.

Mocquier quod eſt irridere, incerta vox.

Marau, id eſt vilis, & mendicus, arbitrarie conficta dictio.

Marran inter Hiſpanos dicitur is qui Chriſtianus quidem eſt, ſed è ſemine Iudæorũ. Iudæi enim diu ſub tributo in Hiſpania vixere: pulſi recens tota Hiſpania cum Sarracenis, ſub Alphonſo Aragoniæ rege, & Heliſabetha eius vxore, regina Caſtellæ.

Merchi, vnde *grant merchi*, à mercede: nam & Hiſpani dicunt, *La noſtra merci*.

Moyſi, quaſi putrid9, à mucore & muſcido. Eſt enim mucor, lanugo diutino ſitu in re qualibet naſcens, à quo mucoſus panis, *pain moyſi*.

Mine, vox multum æquiuoca. Apud nos enim eſt menſura tritici. eſt & vermiculus erodens caſeum. eſt locus ſubterraneus, à quo dicimus *miner*. eſt & oris geſtus, à quo dicimus vulgo, *Il a bonne mine, Il a mauuaiſe mine*. Et huic poſtremæ reſpondet Latina vox minari, minas inferre.

Moſſo & *Moſſa*, inter Hiſpanos ſunt famulus & ancilla, à more, vt crediderim, quòd gerant dominis morem.

Mullos, vulgo mures agreſtes, meſſibus infeſti, à mure vel muſculo.

Muſette, mus paruus, breui cauda, oblõgiore cæteris roſtro, quẽ cattus etſi perimit, ob tamen inſita venena nunquã edit. Cæteri mures domeſtici quos innocue cattus edit, alterius ſunt ſpeciei, & ſorices vulgo *Soris* vocantur. Hi ſunt breuiore roſtro, longiore cauda.

Miroir, id eſt ſpeculum à verbo mirari: quia in eo noſtram miremur effigiem. Nam & Hiſpani dicũt mira, pro vide & reſpice, *Mira ſenor*.

Marchie, à verbo mercor, quia omnia in eo mercemur: & eſt mercatus publicus in vrbibus locus. Ab eã etiam voce dicuntur *marchier*, quod eſt ad negotia ire: & *marche*, gradus vel paſſus quibus aſcendimus.

Marche pro regione, vt *la marche Deſpaigne, la marque Dancone*: nō à mercor, ſed à margine, id eſt extremitate pendet: & ſignificat *la liſiere Deſpaigne, ou Dancone.*

Monier ſiue *Munier*, molitor farinæ, etiā à molitore pēdet, quaſi *molier*, cadente litera L, vt ſæpe fit in N: Belgæ dicunt *Maunier*.

Moinet pro paſſere aue, vide vnde. nihil enim Latinę voci alludit. Nam monedula, auis eſt ex graculorū genere rapax & monetæ, furax, à qua etiam nomen habet.

Morneux, id eſt muccoſus à mucco, à quo & *Morne*, per V conſonantem, id eſt muccus, ſeu narium pituita.

Meneſtrier, vulgo qui in nuptijs muſico inſtrumento ludens, hymenæum canit. Vox eſt corrupta: Pendet autē à duabus, mimo & hiſtrione.

Mouton vſurpāt Galli pro veruece, id eſt maſculo ouiū caſtrato & pingui: vox eſt incertæ originis.

Mie apud Belgas vox frequentiſſima: apud cæteros Gallos vix auditur: pendet à minimo, & ſignificat minime, ſemperque addi ſolet cum negatione valens tantundem, quantum vox *point*: *Il ny eſt mie, Il ny eſt point*: *Il neſt mie chi, Il neſt point chi.* Quæ apud Latinos ſonāt, Non eſt, vel, Minime eſt, Non eſt hic, Minime eſt hic: Interdum apud Belgas auditur, *Ie ne ly ay mię mis mi*, Minime poſui ego.

Mettre quod eſt ponere, pendet à mitto: quanquam raro Latini mittere, pro eo quod eſt ponere vſurpent. Mittere enim dicunt vulgo *Enuoyer*: *Metz ton glaiue en ſa gaine*, Mitte gladium tuum in vaginam. *Iay mis la table*, vix dicimus, Ego menſam miſi, ſed menſam poſui aut aptaui. Menſa trapeza vel tabula caret apud Gallos vulgari voce ſibi reſpōdente. Vſurpant Galli *table* à tabula, pro menſa.

Mareſchal, vox æquiuoca: aliquando in Gallia nomen officij, omnium mercatorum præfecti: & tum à mercibus vel mercatoribus pendet. Aliquando nomen ferrarij fabri equos curantis. Ac tum à martello, vel malleo & incude pendet.

N

Ne, Gallica vox, id eſt non vel noli, *Ne faitz point chela*, Non, vel ne facias illud: vel, Noli facere illud: ſed in ea Gallica voce *Ne*, litera E, exilem ſonum habet: quem Latinæ voces non patiuntur. Quamobrem Ne cum Latina eſt, ſono differt à *Ne*, vt Gallica voce.

Nient, *Nennin*, *Non*, *Nain*, *Nit*, vulgares voculæ reſpondentes apud varios negatiuæ voci Non.

Ner, naſus: *Ne*, natus: *Nef*, nauis, quam cæteri dicunt *Nau*, vel *naue*.

Nagier, à verbo natare: alij dicũt *nouer* per V vocalẽ: ſed *noyer*, id eſt ſubmergi, incertæ originis eſt: niſi etiam placeat à natando dici, quod male natauerit is quem aquæ præfocauerint.

Naueaux, ſunt napi, P in V conſonantem cadente.

Nod, vel ſicut nos Belgæ loquimur, *Naud*, per V vocalem, id eſt celebritas Dominicæ natiuitatis. tractum eſt à voce natale, ſuppreſſa, vt fieri perſępe ſolet in medio, litera duriuſcula T, vel verſa ea in V vocalem. Parrhiſii dicunt *Noel*, Ambiani *Noue*: nos Samarobrini propius voci Latinæ alludentes *Naud*. Et plurimos interim audiui hæſitantes, atque percõtantes, vnde hæc vox tam nota pependerit, & quid ſignet: nam corruptio vocis, obſcuritatem originis adfert.

Nuremberg, clara Germaniæ vrbs, caput Norici, dicta à Norico, & *berg*, id eſt Norici mons.

North Germanica lingua Septẽtrio. hinc Northmanni Septentrionales viri.

Noiſe, id eſt rixa & lis, à qua *noiſiſ*, id eſt rixoſus, à verbo noceo pependit. Nocent enim lites & rixæ.

Niche, id eſt iners & ſomnolentus, & ad agenda tardus: à nido pendet tanquam qui nidum & lectum amet.

Nonain, virgo Nonialis, vide vnde: Nona quidẽ vna ex Parcis fuit, ſed non inde pendet. Nonæ etiam dicũtur, certi menſiũ dies ab initio obſeruationis, quaſi nonæ idus præeuntes.

Noye vox vulgo æquiuoca. Nam interim pro nuce arbore ſumitur, & à nuce deriuatur: interdum eum ſignat qui in aquis ſuffocatur, & à natando pendet, quod male natarit is quem aqua ſummergit.

O

O, & Gallica & Latina vox eſt, quam vulgus in ea, qua & Latini, ſignificatione vſurpare ſolet, tam in bonum quàm in malum ſuccIamando.

Ouy, *oy*, *oue*, per V vocalem, apud diuerſos reſpondent voci ita, ſicut & *Ay*, *Ia*, *Auy*, *Au*.

Ou vox Gallica, quam nulla vox Latina in ſe habet. Significat autẽ aut, vel, vbi, aut, quo, vt in his: *Ti ou mi*. Tu vel ego, Tu aut

ego. *On eſt il*? vbi eſt? *On eſt il ale*? quò iuit?

Or Gallica vox vel incertæ originis, vel deducta ab hora, & ſignificat nunc: vt, *Or eſt il iour*, Nunc dies eſt. *Or eſt il temps de bien faire*, Nunc eſt benefaciendi tempus. Aliquando ſignificationem variat, vt in his, *or cha, or bien*. Et in publicis fori inclamationib⁹ *or oes*: ſed ſemper vergit ſignificantia eius in nunc, & in horam, tanquam non originem mentiens ſuam.

Ord, id eſt ſordidus & immũdus: à qua voce & *ordure*, id eſt immunditia, à ſordibus & ſordido pendet, ſuppreſſa litera S.

Oiſeau, vide an pendeat ab aue: Longiſſime enim diſtat ab ea.

Oſter, id eſt auferre, ab eo pendet: & dici deberet *auſter*. Nam ſæpe *au*, redit in *o*.

Oſtagier, quaſi *obſtagier*: ab obſide vox multum corrupta, & ſuæ origini ſatis diſſentanea.

Oiſif vel *oiſeux*, ab otioſo, verſa C litera in S.

Ole ab oleo, Parrhiſij autem à Latinitate Belgis ſemotiores, dicunt *uylle*: ſunt & qui dicant *oeule* inter Belgas.

Ourdir, telas texere, à verbo ordior.

Oſeille, id eſt acetoſa herba, & pẽdet ab ea. Ibi A in O &, C in S cadit. Parrhiſij corruptius loquentes, dicunt *oreille*: vt qui perpetuo inter literas S & R vitio laborant.

Oeuf, ab ouo. *ouailles*, ab oue. *Oeul* ab oculo.

Orgueul, ſuperbiæ vitium, obſcurę videtur originis, nec abs re. Eſt enim vox confecta ex duabus Latinis vocibus: hirquus & oculus, quaſi hircoculus, vel hircquus oculus, vitio labiorum *orgueil*: quia ſuperbi hircquo oculi, id eſt limi & obliqui, cæteros deſpiciunt.

Oignon pro cepa, vide vnde, niſi pendeat ab vngendo. Nam ſæpe inops vulgus cum eſurit, cepis & ſale panem inungere ſolet, & hunc etiam in delicijs cibum habet.

Os, & Gallica & Latina vox eſt. vt Gallica vox, pendet ab oſſe: vt Latina, os oris nullam habet in vulgo Gallorum, reſpõdentem ſibi vocem. Nam Os, Galli vocant *bouche*, à bucca.

Ourlet, apud Belgas cuiuſlibet rei extremitas & ora, pendet ab ora.

Oſiere, omne virgultum molle aptum ad ligãdum, pendet à Salice: vox enim multum corrupta eſt, ideo pene origine obſcura. Nam dici deberet *Auſieres*, quaſi *des ſaucieres*: ſed ſuppreſſa prima litera S, & verſa diphthongo *Au*, vt fieri ſæpe ſolet, in O, confecta eſt vox *oſiere*.

P

P*ar*, id eſt per: vt *par luy*, Per eum.

P*our*, id eſt pro: vt *pour toy*, Pro te.

P*age*, id eſt famulus, à pago pendet, quia è pagis famuli, vel emi vel conduci olim ſolebant. Hinc *compaignon*, quaſi compaganus, & ex eodem pago.

P*ayen* qua voce vtuntur nunc Galli, pro gentili & cultore idolorum quos paganos vocant: etiam tractũ à pago, quia ruſtici tardius, quàm vrbium cultores, ad CHRISTI fidem venere.

P*ayer*, id eſt ſoluere, quod Hiſpani dicunt *pagar*, etiam tractum à pago, quod pagani & ruſtici plus cæteris ad tributorum & vectigalium exolutionẽ cogebãtur: vel pendet à verbo Pago, quod eſt paciſcor: Nam qui debita ſoluit, paciſcitur cum creditore.

P*ele*, à pala: eſt & *pele* à patella frixoria: inde *palo*, & *eſpaler*, quod eſt mouere vel numerare ex menſura.

P*oil*, à pilo pendet, vox eſt hæc ſingularis & ſola, quã in ryhthmo & ſimilitudine vocis, Gallica nulla vox æmulatur, quæ eius rhythmo, & vocis caſui quadret. Ab hac dicitur *peler*, id eſt expilare, & pilos euellere: quod etiã demere corticẽ ſignat: à qua pendet *plate*, pro cortice.

P*alletot* à pallio, & eſt breue veſtimentum.

P*laque*, id eſt lamina æris, plumbi, argenti, auri: interdũ etiam monetæ ſpecies à palacra, quæ eſt auri maſſa. Ab hac vulg⁹ dicit & *plaquier*, quod eſt parietes luto linire aut gypſo. Quod id miniſterij fiat plana æris palacra, interdum & ligno leuigato.

P*alette*, ligneum inſtrumentum, quo pueri & puellæ in vicis & plateis luſoria pila exercentur. à palæſtra, vel ſi mauis, à pala.

P*anche* apud Belgas venter, à pando & panſo, quod venter expanſus ſit. Nam & pantices, dicitur fluxus ventris, ſeu pinguitudo & exuberãtia illius. Belgæ ſæpe, Parrhiſij vix ea voce vtũtur, imo eam rident.

P*alais*, à palato oris: & P*alais* à palatio, loco ãplo & ſpatioſo.

P*elotte* à pila luſoria, & diminutiuum illius.

P*as* à paſſu, *Aler pas a pas*, Incedere pedetentim. Eſt & *pas* in ore Parrhiſiorum vox, negationibus adiungi ſolita, vt, *Non pas moy*, *Il ny eſt pas*: Nos Belgæ dicimus eius loco *point*: *Non point moy*, *Il ny eſt point*. Nã & ea vox tracta eſt à puncto: quia ſcilicet puncto nihil eſt minus, ideo per punctum ſæpe rerum negationẽ ſignificamus: quod & ſæpe fit per granũ, per guttam, vti etiã minima quædam: vt in his, *Il ny a grain*, *Il ny a goutte*. Sic & in cõſuet-

tudinem venit dicere, *Il ny a point*, quaſi *Il ny a riens*: id eſt, Non eſt res. Nam *riens*, tractum eſt à re.

Place ſpatioſus locus à platea, T in C cadente: vt, *Il eſt en la place*, In platea eſt.

Paillart à pellex voce Græca, id eſt à concubina.

Planche id eſt aſſer, à plano: quia aſſeres plani fiant: inde *planchier*, ab aſſeribus quibus trabes inſternuntur: hæ à Latinis plancæ dicuntur. *Poſteau* vero & *pouſtre*, à poſte pendet.

Plein interdum à pleno, interdum à plango manat. *Mon pot eſt plein*, Ibi à pleno eſt. *Ie plains bien mon amy*, Ibi *plains* à plango, id eſt, plango amicum.

Pris id eſt captus, à prehenſo, quaſi *prins*. Et *pris* à pretio. Sæpe etenim Gallicę voces æquiuocæ ſunt, cũ diuerſis vna Latinis vocibus reſpondet.

Point, vt nunc diximus, à puncto dicitur: & ſignificationem interdum aliam habet negationi congruentẽ. *Il ne eſt point chi*, Non eſt hic. *Il na point chi eſte*, Non hic fui. *As tu point faict che que iay dict?* Feciſtine quod dixi?

Pourpoint, veſtimenti genus, à puncto dicitur: quia per pũcta ad æquam corporis menſurã conſutum eſt. Nam & ſutores ſingulas ſibi replicationes puncta vocant, *pourpoint*, quaſi *appoint*, Hiſpani vocant *perpoint*.

Preux vulgo, id eſt inclytus & fortis, quaſi pretio militari dign⁹, inde *proeſſe*, militia & militum ſtrenuitas: pendet autem à pretio, vel melius à probo.

Pais à patria. at *paix* à pace.

Paour vel *paeur*, à pauore. inde *eſpoenter*, exterrere.

Plat id eſt diſcus, à plano, quia planus & parũ profundus. *platte* vero, id eſt rei cuiuſcunque cortex, à lato, quia lata ſit & plana: niſi forte vt diximus, pendeat à pilo, à quo & *peler*, id eſt decorticare, & vel pilos, vel perizomata auferre.

Pied à pede. *Piergs* à pedica.

Peter, crepitum ventris, ſeu pedorem edere, à verbo pedo pedis, litera D, in C labente. *Pet* à pedore.

Pluchier, inde *eſpluchier*, à pelluceo: quod eo pacto omnia pelluceant, & è tenebris veniãt ad lucẽ: vel ab explico quaſi *expluchier*.

Pareſſe vitij nomen, à quo *pareſſeux*, vitioſus: tractum à pretio & pretioſo: quod eo hi vitio laborant, qui graues & ſibiipſis in pretio, & pretioſi ſunt, detrectãtes laborẽ. Nos enim Belgæ dicimus *preſſe*, & *precheux*, quaſi *precieux*.

Parler, id eſt loqui, à parabola pendet, quaſi *parabolar*: inde *parolar* voce ſemierosa, *parler*.

Preſcheur, prædicator: *Peſcheur*, piſcator: *Pecheur*, peccator à peccatō. Et *precheux*, ſiue *pareſſeux*, pretioſus & acedioſus: ibi quatuor fere ſimilia nomina diuerſarum ſunt ſignificationum.

Pinte, menſura vini, à verbo pitiſſo, quod eſt parum vini paulatim ſumo.

Playe, æquiuoca vox, nunc pro vulnere, nunc pro portione agri, vtrinq; à plaga, etiā voce apud Latinos æquiuoca, & homonyma.

Panier, calathus, à pane: quia in eo panis à mēſa reponi ſolebat.

Paniere, genus menſæ, in qua mulieres vel piſtores piſtum panē congyrant: etiam à pane pendet.

Plaſtre, gypſus, genus cretæ, incertę originis vox, niſi placeat dictam à plaſte id eſt fictore: quia ex gypſo, facile quæ lubet arte finguntur.

Poitron, à podice vel à poſteriore, quaſi *poiſterion*, id eſt pars poſterior.

Puis, vox æquiuoca in tribus. Significat enim aut poſſum, aut poſtea, aut puteū. *Ie le puis bien*, Bene id poſſum. *Il eſt venu de puis*, Poſtea venit. *Eaue de puis*, Aqua putei, vel putealis, aut puteana.

Poys, æquiuoca vox: eſt enim aut pondus aut piſum, leguminis genus.

Porion apud Belgas, per I conſonantem, apud Parrhiſios per I vocalem, æquiuoca vox. Eſt enim aut porrum herba, ex qua interdum fiunt in cibum oluſcula. Aut eſt neuus & ſuperflua caro in manibus ſuccreſcens.

Paris, nota vrbs in regno, nunc Frācorum prima: in qua & primus in Galliam eorum aduētus conſedit, & regni initia iecit: incerta eſt nominis eius, ſicut & conditoris, origo. Beroſus à quodā viro, nomine *Paris*, qui olim ibi regnauerit, dictam ſentit. Alij à par, & Iſis, quaſi iuxta Iſidem: quòd ibi antiqua gentilium ſuperſtitio, deam Iſidem coluerit, vicino vrbi eius templo in eo loco, quò nunc diui Germani à pratis, templum viſitur. In quo & idolum, vt ferebāt, Iſidis, adnoſtra vſque tempora ſtetit, affixū ſublimi parieti templi. Alij à Parrhaſijs dictam eam vrbem volunt, quos è Græcia Hercules ſecum ducens, & per ea loca tranſiens, captus amœnitate loci ibi reliquit, & vrbem eos condere perſuaſit. Sicut varia eſt originis & vrbis & nominis opinio: ita nunc id nomen, ſuo quiſque ſcribit arbitrio. Aliqui Pariſius, alij Parhiſius, quidam Parrhiſius. Nunc enim orthographia Latinarū vocum, degener à ratione, arbitratui permittitur ſingulorum. Vidi

qui literas ad me dederunt, ſcribentes Carolo, alij Charolo, alij Charrolo. Horum quivis arbiter eſto: Iudex in his eſſe nolo. Rē enim & ſubſtantiam voluntaria vocis ſciſſura, efficiet variā nuſquam. Volunt autem nonnulli, Parhiſiam vrbem olim Lutetiam à luto, ſiue palude, illi adiacente dictam fuiſſe: idque Cæſar in cōmentarijs habet, dum ait, Conſilium omne in Lutetiam Parhiſiorum tranſfert. Sed nulla hodie eius luti ſiue paludis extant veſtigia. Supereſt quidem nomē, ſed res viſitur nuſquam. Eſt enim in media vrbe locus, inter pontem diuæ Mariæ, & pontem minorē, quem hodie vulgus *Le coin marchepalus* vocat, quaſi ab angulo & margine, ſiue extremitate & ora paludis, quòd forte ibi fuerit margo, & ora eius paludis. Sunt qui vrbem Parhiſiam non Lutetiam, ſed leucothetiam, vel leucotethyam, olim dictam fuiſſe velint à Græco nomine, quaſi Albā Tethyn, vel Albā Thetidē, quarum hæc mater Achillis, illa Oceani vxor fuit: idque manaſſe à Græcis, qui ibi vnam vel alteram earum pro dea coluerunt, ſicut & de Iſide ob nomen Parhiſium narrant.

Poiſon, pro veneno vel aconyto à pixide: ſicut *poiſſon*, à piſce. Antiqui enim principes vt aduerſum ſiniſtrę fortunæ calamitatē inopinato ſuo exitio depugnarent, ſéque voluntaria morte repēte è manibus aduerſariorum eximerent, venenum in paruis pixidibus ſecū ferebant, vt eo ingruente neceſſitatis hora hauſto, hoſtium ludibria eluderet. Hoc fecit Hannibal apud Pruſiam Bithyniæ regem, cum non alioqui manus Romanorū euadere ſe poſſe cerneret. Hauſto enim à pixide veneno, & ſeipſum, & Romanorum legatos eluſit.

Pieche, id eſt cruſtulum panis, aut cuiuſuis eſcæ: & exinde rei cuiuſlibet portio, à bucea pendet. vitio labiorum, voce corrupta *pieche*, quaſi *biece*: deinde redeunte p in b *pieche*. Quamobrem ſtolide quidam barbarā vocem fingunt peciam, dicentes peciam panis, pro *pieche de pain*. Eſt enim dicendum, bucea panis. Sed à fruſtulo panis, tranſlata deinceps eſt vox *pieche* ad cuiuſcunque rei fragmentum.

Plaidier, loqui eſt, ſed vide vnde pependerit: ſi dixeris à placere, vox quidē alludit, ſenſus parū quadrat. Ab ea dicuntur *les plaitz*, in quibus cauſæ agūtur, quos quidā imperite placita vocāt: cum placitum vulgo ſit *plaiſir*, & placere *plaire*: *plaideur*, *cauſeur*, *quaquetteur*, idē ſunt: Sed *plaideur*, ignotę originis: *cauſeur*, à cauſa: idē & *Iaſeur*, *quaquetteur* à cachinno.

Poiree, olus à porris, quod ex porris ſæpenumero fit, olus autem Gallica voce ſibi reſpondente caret.

Piſſer, mingere, vrinam facere eſt: ſed vix liquet vnde pendeat, niſi forte à verbo pitiſſo ex contrario. Nam qui crebro pitiſſant, etiam neceſſe eſt faciant vrinam.

Puye, podium, vide in dictione *Appuyer*, in litera A.

Palefrenier equorum cuſtos: ab equo, quē vulgo *palefroy* vocant.

Puree, genus ſorbitionis, non à nomine pus puris, quę eſt ſanies & humor in putredinem verſus: ſed à verbo puro puras, quòd in eo ſorbitionis genere conficiēdo, ius purius ſumitur. vel forte pēdet a pulte, verſa litera L in R.

Q

Qui, Gallica vox reſpondens voci Quis? *Qui es tu?* Quis es tu?

Quant id eſt quando. *Quant es tu venu?* Quando veniſti?

Que id eſt quid. *Que feras tu?* Quid facies?

Quair, quod nonnuli ſcribunt *Car*, pendet à voce quia. *Il a eſte battu: car il avoit offenſe*, Vapulauit quia offenderat.

Quoy æquiuoca vox, interdum reſpondens voci quid interrogāti, vt in his, *Quoy, que veulx tu?* Quid vis? *Pour quoy es tu venu?* Propter quid, vel ad quid veniſti? Interim ſignificat quietum & pacificū: *Ceſt ung homme quoy & paiſible*, Quietus vir & pacificus. ab ea tum formatur, *A requoy*, & *Quoiete*, quæ ſignificant quietem.

Quarette vel *Charette*, à quadriga.

Queſte, vox æquiuoca aliquando pro quæſtu, aliquando pro ſcrinio in quo loculi, vario quæſtu quæſiti reponuntùr. Cū quęſtum ſignat, ab ea fit *queſteur*: cū ſcrinium, ab ea dicitur *Marault*, id eſt *Eſcrinier*, ſeu *Menuſier*, lignarius faber & artifex ſcriniorum.

Quaſerate inter Belgas à quaſillo, quod eſt diminutiuū à Quallo, id eſt à vaſe vimineo quo quotidie àpud nos mulieres vtūtur.

Queſne vel *Cheſne*, à quercu.

Queual vel *Cheual*, vel *Caual* à caballo. Multę enim Latinæ dictiones quæ incipiunt à litera C, à Belgis inchoant à litera Q: a Parrhiſijs per literam Ch.

Queſlier vel *Chdier*, ſeu *Cayelier*, cathedrarius artifex, à cathedra quam vocamus *Cayere*: Parrhiſij *Chayiere* vel *Chayre*.

Quetif ſeu *Chetif*, id eſt inops & miſer, à quæſtu, tanquam quæſtuarius, qui præ inopia quotidianum quæritat victum.

Quoquart, ignominioſa & arbitraria vox, tracta ab adoleſcentibus ruſticis, qui cupidi gloriæ, gallorum gallinaceorum plumas, quas *plumes de coq*, exinde *de coquart* vocant, affixas pileo, in publicis choreis ferebant.

Quoquin vel *coquin*, à coquina, diligens coquinam, & fouens caminum.

Quoquelu ſeu *goguelu*, idem quod *goguenlx* & *volguenlx*, à vulgo pendent, quòd hi auidi gloriæ, ſua libẽter aut acta, aut opes, aut genus inuulgãt: & petunt à populo id quod vocant *la volgue*: inde *La gogue*, à qua *goguenlx*. Nam ſæpe V, tranſit in G: & G ex cõſequenti, à fortiore labiorum prolatione, labitur in Q, velut in literam duriorem, ſed ſono ſibi confinem.

Quoquemart, vas æneum ad calefaciendam in foco aquam, tractum à cucumis. Sunt enim cucumæ, eiuſmodi ænea vaſa quæ ſæpe in domibus ditiorum viſuntur.

Quaqueter & *quaquetrean*, diximus iã pendere à cachinno, quod eſt irrideo. Solent enim irriſores eſſe & loquaces.

Quer, apud Belgas, Parrhiſij dicunt *choir* vel *cheoir*, cadere eſt, & ab eo pendet.

Queue apud Belgas per V vocalem, cauda animalis eſt, & à cauda pendet, C in R labente. Parrhiſij per C, dicunt *Coue*. Eſt etiam & *Queue*, à cado, pro vini dolio. *Vne queue de vin*, Cadus vini.

R

Ran, id eſt aries, detruncatione literæ A, & eſt maſculus ouiũ: pendẽtque ab ariete, ſicut vox *berbis*, à veruece.

Raue, per V conſonantem à raphano, litera P aſpirata, relabente in V.

Robe, vulgo veſtimenti genus, à quo & *Rober* & *deſrober*, id eſt furari, ſeu veſtimentum, vel rem quamlibet clanculum auferre, incertæ & nõ Latinæ originis eſt. Lauduni nobis vicini, dicũt *Raube*, O in AV mutantes: Hiſpani *la ropa*, B in P duriorẽ labente.

Rable, certa animalium pars, vt in lepore, incertæ originis eſt: nam rabula à rabie, virum in negotijs agendis, nimis acrem & rabioſum ſignat.

Rage, à rabie pendet, ſuppreſſa litera B, & litera I, verſa in G.

Ramon, id eſt ſcopa domeſtica, à ramis, quia ex ramuſculis fit. Parrhiſij *ballet* dicunt, arbitraria & incerta vox.

Roie, per I vocalem, linea in pariete ex creta aut carbone, dicta eſt à regula: quia ſæpe hæ cum regulis ligneis, manuum incertitudinem regẽtibus fiebant. Eſt & *Roie*, oppidum in Belgica Gallia, Nouioduno vicinũ, quod honeſtius regula vel regia, quàm Roya diceretur: habet enim à rege nomen.

Robert, proprium viri nomen, tractũ à Germanis, quaſi *rotbert*.

Nam Rot, inter Germanos rubrū: *bert*, mons quaſi rubeus mons.

Rolant, itidem proprium viri nomen, ductum à Germanis: quos inter Rot, rubrum: *lant*, terra eſt: *rollant*, rubra terra.

Riote, id eſt iurgium à rixa: hinc *rioteux*, id eſt rixoſus.

Riens, quod ſonat nihil, tractū eſt à re, litera E in *ie* labente: de omni enim ente, nil minus, nil ſimplicius poſſumus effari, quam dicere de eo, quoniam eſt res. Ideo *riens*, vulgo iam pro minimo & nihilo ſonat.

Rouppe, vilis vox, id eſt fortis eructatio & fœda poſt cibū, à voce reſpuo: quaſi reſpuant aut ſpiritum, aut quem hauſerunt cibū hi qui eo pacto eructant.

Rue, cum vicum ſignat, dicitur à rota, quaſi *roe*: quòd duarū ad minus rotarum interſtitio, ſemota vtrinque domorum latera, vicum ſeu publicam in vrbibus viam faciunt. Ruer autem, vt eſt lapidem iacere, à verbo ruo, quia lapis ab alto ruat: quanquam inepte quis diceret, *Il a rue une pierre*, Ruit lapidem, pro, iecit lapidē. Lapis enim è manu iacientis, in alterius caput ruit. Eſt & *rue* herba, nomine Ruta.

Rietz, inculti ſeu neglecti agri, à rure. Neglectos enim agros, vulgus Gallorum, *rietz* appellat.

Roſt, è qua & *roſtir*, id eſt aſſum & aſſare, vox originis dubiæ: niſi forte pēdeat à re & vſtum, quaſi reuſtum aut deuſtum, ſeu igni toſtum: vel à verbo torreo, à quo & toſtum. Quidam à rota dici malunt, quia in veruto ad ignem aſſidue rotetur.

Ribault, vox infamis à riuali: quamobrem fruſtra nonnulli Latinam eius ignorantes originem, fingunt ineptam vocem ribaldus: neſcientes vitio labiorum, cadere ſæpenumero V conſonantem in B, & V vocalem in L.

Rimme, à qua & *rimer*, vulgo notiſſimæ voces, à rhythmo, id eſt numero: quia in rhythmis Gallicis, perinde atq; in Latinis carminibus, ſeruandus eſt pedum, & ſyllabarū numerus. Necnon in fine verſuum quædam ſimilitudo, & reſpondentia vocum.

Ronfler, id eſt ſtertere in ſomno, à roncho vel rōchiſſo. Eſt enim ronchus, ſtertentis ſonus, ronchiſſo ſterto. *ronfler*, ronchos flare.

Rongne, à qua *rongneux*, ſcabies eſt: & à verbo Rodo rodis pendet, quòd ſcabies erodat carnem. Hinc rodere & arrodere oſſa, *Rongier les os*.

Resuer, & apud quoſdam *reuer*, quod eſt ſomniare, & nocturnis viſis ſeu ſomniis, & phantaſmatis eludi, à verbo reddo pendet: quia quæ interdiu ſyncera vidimus, noctu confuſa & intermixta,

interno ſenſui redduntur. Ab ea voce fiunt *Reddeux*, & *reueux*: interdum pro eo qui inſomnijs & phantaſmatis, ſimilia alijs interdiu denarrat. Quidam eos noua Latina voce reddire dicunt, vocántque eos nouo itidem nomine Reddiones.

Reciner quaſi *recener*, eſt pomeridianū capere cibum. Pendet autem à re & cœna, tanquam ſit recœnare: ſed olim id fiebat poſt cœnam: nunc poſt prandium fit ante cœnam veſpertinam.

Raquier apud Belgas, Parrhiſij dicūt *crachier*, eſt expuere & eijcere ore ſputamen: pendet ab excreo, excreare, quod eſt vi quadam expuere.

Regnart, vulpes, notū animal plenum fraudulentiæ & vafritiei. Cur *regnart* vocetur, vide: vox enim fictitia eſt.

Riche, diues, à Riſco pendet. Eſt enim riſcus, ciſta ex pelle contecta: in quâ reponere antiqui nūmos, & pretioſa quęque ſolebāt: niſi cui placeat deduci à rixa, quia ſæpenumero ob diuitias homines rixentur.

S

Sabot, calcei ſeu ſocci lignei, quibus quidam agreſtes vti ſolēt, pręſertim Aruerni & Lemouici, fictitia & arbitraria vox, niſi pēdeat à ſoccis. Ab ea dicūtur *Sauetiers*, ſeu *chauetiers*, quaſi *ſabotiers*, coriarij, cerdones: non ij, à quibus calcei noui fiant, ſed qui perones, id eſt veteres calceos ſarciant: hos Hiſpani verſis V & B, in P, Sapateros vocant.

Sabio, apud Hiſpanos ſapiens, à ſapiente.

Sage inter Gallos, à ſagaci.

Sein, à ſinu, *Sain* à ſano, *Sainct* à ſancto.

Salle, id eſt aula, vox fictitia, niſi pendeat ab aula, præmiſſione literæ S, & media V verſa in L.

Soeul, oſtij limen, à ſolio pendet: quanquam ſolium Latini vocēt ſedem & thronum: ſed hoc quia ſæpe in limine oſtij ſedere ſolemus: à ſolio etiam dicitur *ſole*, pro ligno parietis domorū, ab imo ſuffulciente.

Sanglers, hodie regionis nomen, dictum à ſanguine terſo Hunorum. Ibi enim ingētem Huni ab incolis perpeſſi ſunt cladem: in ea eſt inſignis pagus Lihunum, nomen referens Hunorū. Hæc regio inter Belgas eſt, Veromanduis & Ambianis vicina.

Sieu, ſeuum, pinguitudo animalium: at *ſuie*, id eſt fuligo camini, incertæ originis, niſi pendeat à fuligine, verſa F in S, quaſi *fuie*, aut *fuige*.

Seue, per V conſonantē ſubſtātiſicus, & vegetus plantarum humor, ſuccus eſt, & ab ea voce pendet.

Serment, pro iuramento, quaſi *ſeurement*, à ſecuro pendet: quãuis deduci videatur à ſacramẽto, quaſi *ſacrement*: parum refert. Qui enim iurant vt ſecuritatem & fidem auditoribus dẽt, ſæpe dicũt *ouy ſeurement*, vel, *non ſeurement*, vel, *par mon ſerment*: id eſt, *par mon ſacrement*. Eſt & aliter *Serment* à ſarmẽto, quod eſt faſciculus ex abſciſſis ſuperfluis vitiũ virgultis. id *ſarment* dici, nõ *ſerment* debet.

Sot à ſtulto, ſicut *fol* à fatuo: & à ſtolido *eſtourdi*.

Saulſe, à ſale & ſalſo, quòd ſine ſale ſalſamentum in vſu ciborũ non fiat, inde ſalſamentarium, id eſt *ſaulſiere*.

Segneur, dominus à ſeniore, quòd olim ſeniores in cõſilijs, & moderaminibus vrbium erant præcipui & primi: ſed vitiata orthographia, non neceſſariam hodie interſerit literam G, ſcribens *ſegneur*, pro *ſenieur*.

Siron vel *Soiron* diuerſorum labiorum, vermiculus vel tinea naſcens in manu, erodens carnem nec modicam inferens pruriginem: pendet à voce Græca χὲιρ, manus: & debet ſcribi *chiron*. Belgæ dicunt *Soiron*.

Selon, vox Gallica, tracta à voce ſecundum, quaſi *ſecond*, litera C, in L labente. *Selon che que tu feras, ie te payray*, Secundum tuum opus mercedem appendam.

Souper, qua nunc voce vtimur pro cœna, pendet à ſopore, quia paulo ante ſoporem veſpertino diluculo ſumi breuis refectio ſolebat, vt intingi in vino offa: quam etiam noſtri ea de cauſa *ſoupe* appellant. vel deducta eſt à verbo ſorbere, quia ſero veteres ſorbebant pulmentum, vt ſit *ſouper*, quaſi *ſorber*, voce corrupta.

Souſſy quaſi *ſoulcy*, vox multũ corrupta à ſollicitudine deducta, geminis LL medijs labentibus in V vocalem.

Sollez vel *ſolliers*, calcei, à ſotularibus per vocis detruncationẽ.

Some, vox æquiuoca: interdum à ſumma: nonnunquam à ſomno. *Vne ſomme dargent*: Summa, id eſt, quantitas agenti. *Iay dormi bon ſomme*, Altum dormiui ſomnũ. Ab hac deducta eſt vox *ſongier*, id eſt ſomniare: & *ſonge* ſomnium, litera I labente in G: & *Menſonge* mendacium, ſimile ſomnio: & *menſongeur*, mẽdaciorum ſomniator & commentor.

Sarpe, ferreum inſtrumentum, ſecãdis lignis in domibus aptũ, incertæ originis, niſi per demutationem C in S, tracta ſit à carpento, quòd carpentarij artifices, & lignifabri ea vtantur.

Sarceu ſiue *chercueu*, lapideus mortuorum corporũ loculus, vulgo *luyſeau*: pendet à ſarcophago, in quo conditæ cadauerum carnes, vel ſitu, vel à vermibus eroduntur, & abſumuntur.

Sire, dominus, à Græca voce κύριος. Etenim Gallorum ſapiētes, olim Græca vſi lingua traduntur.

Sengle, æquiuoca vox, aliquando lorum quo alligantur equi vel animalia: & tum pendet à cingulo per C. aliquando pro ſimplici, & tū dicitur à ſingulo per S. *Robe ſengle*, veſtis ſingula & ſimplex. animaduertendum id vnum in litera S, quod in opuſculo de vitijs vulgarium linguarum non tacuimus, quòd quotieſcunque in initio Latinarum dictionum, S præit conſonantes tres, C, P, T, vulgares voces quæ his reſpōdent, ſolent ante S præmittere E. Infinita ſunt eius rei exempla, Schola, *Eſcole*: Spiritus, *Eſperit*: Studium, *Eſtude*. Itali hoc cauent, quod & Hiſpani etiam in vocibus Latinis vix effugiunt.

Serure, qua obfirmantur oſtia, à Sera. Parrhiſij dicunt *ſerrure*, interdum etiam *ferrure*.

Soye, dentatum ferrū quo ligna ſecātur, à ſerra, per duplex R, pēdet. Eſt & *ſoye*, pro ſericeo panno: & iterum *ſoye*, pro ſetis porcorum, vox æquiuoca ad tria.

Sayette genus teli, à ſagitta: nam *fleche*, idem teli genus, à Græca voce vti à verbo φλέγω, quod eſt ardeo, pendet: quia præ nimia velocitate nonnunquam viſæ ſunt in aere ardere ſagittæ.

Seuerondes, pro tectorum prominentijs, à ſuggrūdijs dictæ, quæ defluentes è tectis imbres, à domorum parietibus defendunt, & eas longius excutiunt.

Salique, vox Gallis nota, ſed origine dubia, qua Galli latā à Pharamondo primo Francorum rege, legem vulgo inſinuant: cōnexa eſt ex duplici voce *ſi alique*, id eſt, ſi aliquis, vel ſi aliqua, detruncatione mediæ literæ I, ex vitio labiorū: quia ſcilicet omnes eius articuli incipiunt per Si aliquis, vel Si aliqua. Multi fruſtra laborarunt in diſquirenda origine eius vocis, putantes à Sale, vel à voce Saligia, vel aliunde dictam.

Semelle, per triplex E exile, Gallica vox à Solea pēdet. Nā Semele, per E, forti ſono expreſſum, Latina aut Græca vox eſt: proprium nomen filiæ Cadmi.

Somme, vel *ſame*, parum enim refert, cum ſæpenumero A in O, & O in A, vel hominū arbitrio, vel labiorum vitio varietur, nomen eſt fluminis inter Belgas, quod apud Samarobrinam nunc ſancti Quintini vrbē, exoriens, per Ambianos in mare Oceanū excurrit. Id latine quidam Somonam vocant, alij Somam, alij Samam à Samarobrina, vel Somonobria: quaſi Somonona, vel Sa-

ma oriens.

T

Taffetas, vel *taphetas*, ſericeus ſubtilis pannus, vox originis dubiæ, niſi à loco quopiam, aut ab artificis nomine deducta ſit.

Tailloir, id eſt *trenchoir*, aſſerculus ligneus, aut æreus, ſuper quo in menſis panem & ſolidiores eſcas cultro in bucceas partimur: pendet à talea, id eſt à fruſto ligni præciſo. Nam & vulgo dicimus *tailler*, quod eſt ſcindere quamlibet rem: à verbo taleare, à quo & retaliare.

Trenchier & *trenchoir*, à verbo truncare pendent, à quo & truncus *tronc*: quo etiã vtimur in templis. Is enim eſt ſtipes ligni concauus in quem nũmulos deponunt, qui eleemoſynam templis impendunt, & vocantur *tronc*.

Traire, & *tirer*, à verbo traho.

Tort, id eſt iniuria, à verbo torqueo, & à tortura: quod tortura ſit violenta, & non abſque grandi patientis ignominia vel incommodo. *Il ma faict grant tort*. Vix bene id Latine dicas niſi per iniuriam, Multa (inquam) me iniuria affecit: aut plurimum mihi extorſit. Nam ſignificatio torturæ, ad id rei paulo violentior videtur. Non enim dices, Multa me affecit tortura: cum tortura ſit eorum, à quibus vi extorquenda ſit delictorum & ſcelerum confeſſio.

Trop, id eſt nimis, incertæ originis eſt, niſi placeat etiam deduci à Græca voce tropus, quæ ſignat modum: quaſi *trop*, ſit excedere modum. Ab hac fit *trope*, pro hominum vel animalium multitudine, quam ſacræ ſcripturæ interdum vocãt globum: vt in libris Regum, cum de exercitu Iehu in impetu venientis, ſpeculator ad regem Ioram dixit, video ego globum, id eſt tropum hominum. hodie noſtrum vulgus dicit, *Vne trope de gens*, *Vng troupeau de brebis*: pro agmine hominum & ouium.

Tinne, vel *tingne*, capitis ſcabies, innaſcens pueris: pẽdet à tinea, quod peduncuIi, qui ſunt capitis vermiculi, & è genere tinearum, in ea ſcabie alantur. A tinea fit *tigneux* vulgo, capite ſcabioſus.

Trotter, quod eſt curſitare, à verbo tero, quaſi *teroter*: id eſt terram pedibus terere.

Treper, à trepitando: ſed immutata eſt eius ſignificatio. Nã trepidare, timere eſt: *treper* autem, vulgo lætati, ouare, choreas ducere, & ſaltare: quod & aliter vulgus, incerta & ignota voce dicit

danſer. niſi forte placeat *treper*, deduci à tropo, id eſt à conuerſione, quaſi *troper*, quòd in choreis crebra conuerſio, & hominũ congyratio fiat.

Trou, inter Parrhiſios, & à Belgis *trau*, id eſt foramen: ortum à verbo terebro, & à terebello: quòd terebrando in ligno vel lapide foramina fiant.

Tart, à tardo: *tarte* ab arbitrio factorũ. Eſt enim farciminis genus, attinens ad bellaria menſæ.

Tuer, quod eſt interficere, à tuẽdo ſeu verbo tueor: quòd hi, qui alios perimunt, id faciunt, vt ſuam ſalutẽ ab aduerſarij nece tueantur: ſed ſignificatio mutata eſt ab actione in paſſionem, vt hic liquet. *Pour me bien tuer, me fault mõ ennemy tuer*, id eſt, vt tuear me, operæpretium eſt aduerſarium perimi meum. Eſt ergo æquiuoca ſignificatio vocis *tuer*. Nam & *garder*, & interficere ſignat: tueri quidem ſe, interficere hoſtem.

Tiſon, lignum in foco ſemiaduſtum, ſed reſtinctum, à titione. *Torſe* vero, lignum ardens, à torre: quamuis nunc vulgus *torſe*, facem ex ligno & cera confectam vocat, quam nonnulli tedam dicunt.

Truant, id eſt mẽdicus, iners & ad omnia ignauus, ſimulans impotentiam vel morbum, cum tamen ad labores ſufficiens ſit: vt hominũ nummulos, eleemoſynas, & eſcas largius venetur: pẽdet à trua. Eſt enim trua, vaſis genus, quo è colina, id eſt è culina ſiue coquina, in lauatrinam fundi aqua ſolet. Hi autem, quos vulgus *Truans* vocat, amatores ſunt culinæ, & liguritores catinorum ac vaſorum.

Traiſtre, vel *Traidor*, ſecundum Hiſpanos, à trado: vt Iudas qui tradidit Dominum in manus Iudæorum.

Tache, macula, ſeu nota, à taxa: quia hi quibus ineſt macula, ob eã ab aduerſarijs taxari, & reprehendi verbis aut ſcriptis ſolent. Nam taxare quempiã, eſt animi vel corporis maculam, qua quiſque laborat, non tacere. Hinc *taſcher*, quod quandoque ſignat niti & conari. *Il y taſche fort*, Multum nititur. Ab hac etiam voce, veriſimile eſt deduci, *tenchier*, ſeu *tenſier*, id eſt iurgari aduerſum quẽpiam ob eius vitium, aut admiſſionem mali. Et *tracher*, quod eſt delere lituras, vel inſcriptum alicuius nomen è libro eradere ac delere.

Tauſſer, quod eſt pretium imponere, etiam à taxa, id eſt à pretio pendet.

Torquier vel *torchier*, non à torqueo, vt quidam volunt, ſed à verbo tergo pendet, quaſi *tergier*. hinc *terchier*.

Truie, pro ſue, originis ignotæ & arbitrariæ eſt: vel meo iudicio pendet à Græca Δρῦς, id eſt à quercu, à qua & Dryidæ: quòd olim Dryidæ ſuem glandibus è quercu cadentibus veſcentē, Mercurio deo immolabant. dicta eſt inde *truie*, quaſi *dryie*, D in T relabente: quia & glandibus quercuum veſceretur, & à Dryidibus immolaretur.

Tumer, vel *Tumber*, quod eſt cadere, à verbo titubo pendet.

Telle, apud Belgas vas fictile, latū & planū, vtile coquinę officijs, & rebus in eo lauandis pendet à tellure, id eſt terra.

Toſt, id eſt cito, & ab eo per ſyncopā pendet, detruncatione ſyllabæ primæ.

Taixon, vel *teſſon*, animal taxo, cuius ſanguis ſiccatus & in pulue rē redactus, mirum in modū lepræ morbo medetur. Quidam id animal à colore pilorum vocat *griſart*: alij *blaireau*. Noſtrum etiā vulgus nonnunquā *teſſon* vocat, fictilis vaſis fragmentum à teſta.

Tette, vulgo mulieris mammilla, vnde pendeat hæc vox vix liquet, niſi vt quidam volunt, à tacendo, quòd vagientes data mā milla infantes, taceant. *Quant lenfant a la tette, il ſe taiſt*, Infans cū mammillam ſuggit tacet.

Taſter, tangere & palpare, à tactu pendet: inde *aler a taſton*, palpando incedere.

Tourte, panis eſt, à torta: de hac habes in Ieremia, Et dabatur ei torta panis quotidie. Forte etiam pendet à Turunda, quæ eſt placenta focacea, ſeu foco ſub cineribus cocta.

Va, id eſt I, ſeu perge, à verbo vado.

VVez, apud Belgas, inter Parrhiſios *guetz*: pendet à nomine vadus vadi.

VVart, gard, ſeu à quibus *VVarder*, & *Garder*, vel incertæ originis ſunt, vel pendent à verbo video videre. Ab his Franciſcani, prælatos ſuos vocant Gardianos, qui cæteris oculatiores eorum cuſtodiæ præſunt.

VVage, gage, à vadio ſeu pignore: quod apud alium, mutui loco deponi ſolet.

VVaigne, gaigne, pro enſis foriolo, à vagina. Et ab his *VVaigner*, *gaigner*, quod eſt lucrari, deductione ſatis lōginqua & impertinēte pēdent: quaſi id ſit imponere & immittere lucrū intra vaginā ſuā, crumenæ ſpeciē habētē: ſicut enim gladi⁹ mittitur in vaginā, ita

& lucrum intra crumenam. Cum autem dicitur *Engaignier*, id eſt irridere, id ab ingannio pendet: & ſcribi debet *Engannier*, id eſt *moquier*, & exinde iraſci. quia qui ab alijs irridentur, cito iraſcũtur. Nam & ganniones, dicuntur irriſores, & ad iram ceteros ſua ſanna prouocantes.

Varlet, ſeruus, à verna ſeruo domi ex ancilla nato. Ibi enim vt ſæpe accidit, litera L recidit in N. Parrhiſij dicunt *uallet*: inſuper R in L demutantes: vt faciunt in verbo *parler*, *paller*: *Charles*, *Challes*.

Valeton, diminutiuum à *uarlet*: quo nomine Belgæ vtuntur, non tantum pro famulo, ſed etiam pro puero quouis domeſtico.

VVarlouque, qua voce Belgæ perſæpe, Parrhiſij vix vtũtur, id eſt luſcus, & ſiniſtre videns, compoſitum ex duobus nomen: *VVart*, id eſt aſpicit vel videt: & *louque*, pẽdente à luſco. Eſt enim *VVartlouque*, qui *VVartlouque*, id eſt vidẽs luſcus: ſeu qui ſiniſtre & oblique videt.

VVarou apud Belgas, apud Parrhiſios *Garrou*, per V vocalem: ex qua voce vulgus conflat *Loup VVarou*, vel *Loup Garrou*: pendet à dictione Varolus, quæ ſignificat edacem, & piſcem, & lupum. Hac voce terreri à maioribus ſolent infantes, *Gardez uous du loup VVarou*, vel, *du loup Garrou*: Caue à lupo varolo, id eſt edaci.

Veruaine, per V conſonantem verbena, quondam herba ſacra.

Vertau vel *uertail*, lignum teretis figuræ, quo doliorũ infuſoria obſtruuntur: à vertendo, & dici vertebrum, aut verticulum à ſimilitudine poteſt.

Verrouil, ferrum teretis figuræ, quo oſtia cum ſeris violẽtius occluduntur, etiam à vertendo: & vectis vocatur a Latinis.

Veſſie, res nota à veſſica: à qua etiam *ueſſe*, ſordidæ rei ſignificatrix tracta eſt.

VVeſpe, animal ſimile api, quod veſperi muſcas in cibum ſuum venatur: à veſpa labente V conſonante in VV: Parrhiſij qui VV vertere ſemper in G ſolent, dicunt *Gueſpe*. *La mouche Gueſpe*: Belgæ, *une mouſque VVeſpe*.

Voie, à via, inde *Sauoie*: Gallicæ regionis nomen, à Salua via, cæſis à principe latronibus, infeſtam reddentibus peregrinis viam. Temere quidam à Sabatio Saturno, id nomen deductum arbitrantur.

Vin, à vino pendet: Germani V conſonantẽ, in VV frangentes, dicunt *VVin*. hactenus ſat conſentanei Latinis, qui pene in cæteris omnibus ſuæ linguæ vocibus diſſentiũt. *VVit VVin*, *blanc Vin*.

Rot VVin, *rouge Vin*. Etiam hãc vocem *rot*, à Latinis, nempe à rubro mutuati.

Vlote, vel *hulote*, vlula, nocturna auis ab vlulando dicta.

Vomir, alij *Gomir* dicunt, à verbo vomere.

Vellours, ſericeus pannus, à villis, ſeu pilis dictus: quòd id genus pretioſi panni ſit præ cæteris villoſum & hirtuſum.

Vergongne, idem quod *honte*, id eſt erubeſcentia: pendet à verecũdia, literis C & D labentibus, vitio labiorum in G.

Vrauuue, Germanica lingua mulier: vox vt crediderim à virgine deducta: ſuppreſſa litera I, & verſa litera G media, in VV. Virum autem Germani *man* dicunt, & hominẽ *menche*. Itali & Hiſpani, vulgari voce carent qua virum ſignent: nam virum, voce hominis inſinuant, diſtinguentes hominem à muliere, cũ mulier ſit & ipſa homo. Mulierem Hiſpani *monier* per I conſonantem vocant, verſa L in I. Galli *femme*, à fœmina eam appellant, carentes voce quæ reſpondeat mulieri.

Viarron, hodie pagus, olim oppidum muro cinctum, nomine Auaricum: quod Cæſar longa obſidione tandem expugnauit. Eſt in finibus Biturigum, non longe à Magduno, regio caſtello.

Vermant, hodie etiã pagus, olim vrbs, ſatis ampla, à VVandalis diruta: epiſcopi nunc Nouiomẽſis ſedes: à qua toti vicinæ regioni nomen *Vermandois*. Hi ſunt quos Cæſar Veromãduos appellat.

Vaſſal, notæ apud Gallos ſignificationis, vox tracta à vade, id eſt à voce vas vadis, quæ ſignificat ſponſorem, & vel pro ſe, vel pro alio fideiuſſorẽ. Nunc vocẽ *vaſſal*, vſurpãt Galli pro ſubditis, præſertim his qui nobilibus ac dominis fidem & iuſiurãdum ob terras quas poſſident, præſtare iubentur. Quamobrẽ nunc temere quidam ignorantes eius originẽ vocis, & à qua pẽdeat, Latina voce appellant vaſſalos eos quos vades dicere debent. Fingenda non eſt fictitia & barbara vox vbi Latina & antiqua non deeſt.

Varon, apud Belgas, neſcio an etiã apud cæteros Gallos piſciculus eſt fontiũ, & exiguorum riuulorũ inſtar gobionis: vnde pendeat vide. Non enim dicitur à varolo: nã varolus, piſcis eſt grandior, qui & lupus maris, alio nomine labrax, id eſt vorax: à quo etiam voraces homines, varoli dicuntur.

Varole, puſtulæ in pueris cũ febre naſcẽtes, à varis ſeu variolis. Vari enim ſeu varioli huiuſmodi puſtulæ ſunt, quas vulgus *la petite varole* vocat. Nunc *la groſſe varole* recens morbus eſt, incerta cauſa exortus, viris & fœminis miſeranda ſcabie infeſtiſſimus, quem Gallicum vulgus, neopolitanum morbum appellat. Cõtrà,

Itali & Hiſpani, Gallicum vocant.

Viſage apud Belgas, vultus & facies, à viſu pendet, quaſi *uiſuage*, quòd viſus locatus ſit in vultu.

Sequentia præcedentibus ſuo ordini iungantur.

Abbaier, quod eſt canum, à voce baubare, quod eſt latrare.

Antenois, hœdi anniculi præterito anno nati, quaſi ante annum, à voce *Anten*.

Apout, per V vocalem, repletũ, & ex repletione faſtidientẽ quãlibet rem, ſignat. pendet autem à Græca voce poria, quæ latine facultas, ſiue abundantia dicitur, à qua & verbum Aporior.

Bechire, vox in ore Belgarũ perfrequens, & leni labiorũ vitio ſuã pene originẽ mentiens, tantũdem pene ex vſu ſignificat, quantũ amabo aduerbiũ, vel ſodes. Pẽdet autẽ à duabus, *bel* & *ſire*, quod eſt dominus: quaſi *bel ſire*, vel *beau ſire*: quià in initio allocutionis, ſolemus eo modo perſonã quamlibet familiarius affari, *Ales y beau ſire*, *Faiſtes chela beau ſire*. Nũc vitiata vox ſonat *bechire*, pene ignotæ originis.

Cremir, id eſt timere, à verbo tremo & tremere pẽdet, quaſi *tremir*, litera T in C demutata: hinc pendent *Craindre* & *crainte*, id eſt timor.

Commenchement, id eſt in omni re principiũ. pendet à cum & inchoo, quaſi coinchoatũ. inde *commencher*, quod inchoare eſt.

Coche, apud Belgas ſus: & *cochon*, porcellus: ambo originis dubię & prorſus arbitrariæ. Superiores Galli ſuem *gorre* vocant, & porcum *goret*, vocibus etiam incertis & arbitrarijs.

Chiche, ſuæ rei tenax, vox dubiæ originis, niſi forte pẽdeat à cicere, genere leguminis: quia viri tenaces, parcentes crumenæ leguminibus viuant.

Culier, Parrhiſij cochleare, ſeu cochlear vocãt inſtrumentũ concauũ quo liquida edulia ori admouentur, immo in os truduntur. Belgę id per maiorẽ ſyncopam vocãt *louche*, per V vocalem: vtrũque à cochleari pendet.

Ciſeaulx, forpices ſunt quibus pili inciduntur, dicti à verbo ſcindo vel incido.

Coudre, per V vocalem, ſuere, ab infinitiuo verbo coniungere pẽdet, labente N in V, & G in D. Ab ea *couſturier*, ſutor: quaſi *coniuncturier*. ea enim quæ adſuuntur, iunguntur in vnum.

Doune, apud quoſdã per V vocalem, apud alios per V cõſonantẽ:

pēdet à dolio verſa, vt ſæpe fit, litera L in V. Etenim hodie lignarij fabri, doliorū artifices, eos aſſeres ex quibus dolia conficiunt, vocant *dounes*, prima V vocali, ſecunda conſonante.

Eſcot, qua voce omnes pene Galli vtuntur pro impenſa cōuiuij, vix liquet vnde, niſi forte à ſcuto, id eſt ab aureo nūmo, quē Galli ab impreſſa ſcuti effigie, ſcutum vocant: quòd ſæpe conuiuiorum impenſæ viſæ ſunt æquare vnius ſcuti, ſiue aurei ſummam. vel pendet à compoto per ſyncopam, & vocis adulterationē. Nā in fine conuiuij computari ſolet impenſa, & cōpotus hoſpiti perſolui. Hinc dicunt *Payer leſcot*, quaſi *payer le compte*. Et exinde vocis abbreuiatione, *payer leſcot*.

Eſpinches, forcipes quibus ferramenta callida, aut quælibet alia capiūtur: pendent à verbo expungo. His enim ea quæ manu tractare non audemus, expungimus: Parrhiſij eas vocant *Tenailles*, à tenendo.

Eſcarbotte, notum animal ſcarabeus: præmiſſa (quod in ſimili fieri vulgo ſolet) litera E.

Eſtriner, per N, xenia & dona mittere amicis: à qua voce *Eſtrines*, id eſt dona: pendet à ſtrena, quod eſt munus feſtiuū & iucundū.

Foible, quod pro debili & viribus inualido vſurpatur, à flebili pendet: nam & quidam dicunt *flebe*, alij *fleue*.

Feable vel *fiable*, à fideli.

Forches, ferrea inſtrumenta, quibus fila, linum, & lana inciduntur, à forficibus dicuntur, quaſi *forfes*: non autem à forcipibus, quibus ferra capiūtur: neq; à forpicibus quibus pilos incidimus, quos vulgus vocat *Ciſeaux*, à ſcindo vel incido.

Fouet, per V vocalem, ſcutica eſt: pendet autem à fuſte, à fuſtigo verbo, quod vulgo *foueſter*, & fuſte ſtimulo.

Gaucher, qua voce Belgæ minus, quàm Parrhiſij vtuntur, eum ſignat qui læua manu, pro dextra vtitur: ſed vide vnde deducta ſit, niſi à χὲρ, id eſt a manu. ſed dic quid prima eius ſyllaba *Gau* ſignet, & à quo pendeat.

Gibbet, ſupplicij locus quo reis laqueo frāgi gula ſolet. Vide an pendeat à gehenna, quod nunc pro quodam ſupplicij genere paſſim vſurpatur. An vero à voce gibber gibberis, quæ gibbum ſignat, idque per contrariū ſenſum: quia qui à trabe pendent, ſic toto corpore extēduntur, vt ſi forte gibberoſi vel gibboſi ſint, gibbæ tumor deſideat & vaneſcat.

Garbe, manipulus tritici: Parrhiſij verſa G in I conſonantē, *Iarbe* dicunt. vox dubia & incerta, niſi placeat deduci à verbo car-

po carpere, quia manu carpuntur, verſis C & P literis duriuſculis, in G & B molliores & affines.

Huquier, *Huchier*, *Hucr*, *Huyer*, hæ omnes pendent à verbo voco vocare, ſuppreſſione duarum literarũ, V conſonãtis, & C in medio dictionis.

Haye, ſepes ſeu fruticoſa maceries, qua ruſtici ortos ſepiũt: vox eſt incertæ originis, forte ruſtica & barbara. Sepes enim vulgari voce caret.

Ie, per I conſonantem, id eſt Ego: & pẽdet ab Ego, per detruncationem primæ literæ E. Quamobrem ſcribi deberet per G, & non per I: *Ie lay faict*, Ego feci. Hiſpani dicunt *Io*.

Yure, ebrius, & ab ebrio pẽdet, cadentibus E in Y, & B in V cõſonantem.

Yuoire, ebur, & ab eo pendet, eadem qua nuper, demutatione literarum.

Lurcignol, vel apud Parrhiſios corruptiore labio *Roſſignol*, Philomela auis eſt: & à luſcinia pendet. Hanc nonnunquam poetæ Attidem, quaſi Atticam vocant.

Excurrimus per vniuerſam Latini alphabeti ſeriem, vſque ad literas X & Z: quę quia vix vllis pręmitti Gallicanis vocibus ſolent, ideo in illis nullam deinceps vulgariũ Gallici ſermonis vocum tabulam hic ſubſcribemus. Et quia Parrhiſij Belgis vicini, interſtite Sequana fluuio, ſtatim linguam à Belgis antiquũ Gallorum ſermonem pluſculum ſeruantibus, longe variant: ideo apponenda iſtic differentia fuit, quæ vtriuſque gentis labium, & loquendi modum, non in ſubſtãtia ac diſtinctione verborum, ſed ſola varietate ſyllabarum, & eroſione ſeu immutatione literarũ, à vitio labiorũ diſpeſcuerit. Parrhiſij cumprimis apud ſeipſos laborant vitio literarũ R & S, aliam pro alia in medijs ſyllabis eloquentes. Nam *Ieru Maſis*, ſolet in eorum plebe audiri, pro Ieſu Maria. Adeſt & illis vitium, ac demutatio vocalium, A & E in ſeinuicem: idque & in primis & in medijs ſyllabis, *Anfans* pro *Enfans*. Inter autem Parrhiſios & Belgas, vulgatiſſima diductio, ſeu diuiſio labiorum fit in literis, ſicuti docuimus, G & V. Nam Belgæ in multis duplicant literam VV, in quſbus Parrhiſii, pro ea, literam G compenſant. Dicunt Belgæ *VVarder*, Parrhiſij *Garder*. Rurſum alia inter ãbos accidit labiorũ maceries, in literis G & I cõſonantis: præſertim ante vocales A & O. Nã quod Parrhiſij effantur per I conſonantem mollius, id Belgæ ſæpenumero duriuſcule per G, & interdum per Q eloquuntur: vt in his, *Goye*

Ioye: *Gay*, à graculo, *Iay*: *bergier*, *berquier*. Aliud quoque accidit amborum in labiorũ vitijs interuallum in literis ſimplicis literæ C, & C cũ aſpiratione, id eſt Ch. Nam in multis in quibus Belgę, velut Latinitati hactenus propiores, efferunt ore C ſimplex, Parrhiſij adiecta aſpiratione, duritiem literæ C frangunt, efficiúntque molliorem, vt in his, *Caperon*, *chaperon*: *Cat*, *chat*. Et vbi non licet Belgis per C ſimplex id eloqui, vertunt Belgæ C in Q, vt *Queual*, pro Caballo: Parrhiſij *Cheual*. Vaccam Latinus, Parrhiſienſis *uache*, Belga *uaque*, à quibus *uachier*, & *uaquier*. Sed in verbo vaco vacas vacare, id fallit: nam & Parrhiſij & Belgæ in eius ſignificato pari ore conſpirant: vtrique enim vacare *uaquier* dicunt: ſicut & *couſteau* pro cultro, & *Cardinal*, pro cardinali: nemo *chouſteau*, aut *Chardinal*. Eſt & alia vtrorunque populorum maceries in literis S, & Ch. Parrhiſij dicũt *Sucre*, pro ſacaro: Belgæ *Chucre*. Et contrarium iñ his fit, *Torche*, id eſt facula, *Torſe*: hæc Belgarum, illa Parrhiſiorum vox. Accidit & aliud, quòd in quibus Belgæ diphthongum *ai* ſeruant, Parrhiſij eam in *i* ſimplex variãt: vt in his, *Pain*, apud Belgas: Apud autẽ Parrhiſios *Pin*. *Tainturier*, *tinturier*. In alijs multis, ſecta quoque ac diuiſa ſunt eorum labia: quæ nũc in re leui, & plane ludicra, vel puerili, ne iuſto prolixiores ſimus, néve operam perdamus, & impenſam, ſilẽtio tegemus. Hic quidem ex occaſione tantiſper luſimus in tabulis Gallicanarum vocũ: non vt cũctas eas referre niteremur in originem Latinã. Id enim negotij explere, non minus vires excellit, quàm neceſſarium nullius non iudicio nõ fuerit. Nam & arbitrium vulgi nouas quotidiẽ voces effingit. Sed id egimus, vt in paucis verſati, ad ampliores & profuſiores tabulas prouocaremus auidum lectorem. Obtulimus illi ſemen, ex quo ampliorem quiſque conetur elicere meſſem. Si quis autẽ obganniet, in his vocibus, quas appoſuimus, nos iuſtum fefelliſſe etymologon, poſtulet ille, haud nobis, ſed ſibi ſoli ſuam dici diem. Non alium interpellamus iudicem, quàm lectorum aures: peritior iudicet lector. In re enim arbitraria ſi impinget quis errorẽ: tolerabilior videbitur lapſus, vbi nec authoritatis temo, nec rationis remigia adſunt: ſed vbi ſola dictionum alluſio, fidem ſe præbet totius iſtius indaginis & aurigationis magiſtram. Vale Lector.

Caroli Bouilli Samarobrini liber de hallucinatione Gallicanorum nominum.

DICTO DE differentia vulgarium linguarũ, præſertim de Gallici ſermonis varietate, qui quanquã à Latina lingua exortus videatur, attamen & à loco, & à labiorum vitio, tam nunc diuerſus & promiſcuus appareat, ſubijt dicere de hallucinatione quorundã Gallicanorum nominum, tam vrbiũ, quàm nationũ: in quibus permulti hodie labi, & hallucinari videntur.

De hallucinatione nominis Senonum pro nomine Xenonum. Cap. I.

RESVMEMVS cum primis hallucinationem vnã, quam ſuperiore in opere curſim tetigimus, de hallucinatione plurimorum in nominibus Senonum & Xenonũ. Nam ob affinitatem literarum S, & X, quæ ferè in labijs & ſoni ſimilitudine ſunt pares, in eam hallucinationem multi venere qua Senonibus Gallis tribuũt, quod vniuerſo exercitui Gallorũ ſub Xenonum, id eſt aduenarum & peregrinorũ nomine, adſcribere debuerũt. Non enim in Senonenſi agro primus ille famoſæ Gallorum eruptionis motus ebulliuit: qui Romam ſub Camillo tum exule incendit, & Capitoliũ obſedit: neq; Senones Galli ſuo ipſorum nomine eius tantæ expeditionis authores fuere, quæ complures Italiæ vrbes condidit, Romã incẽdit, Gręciã & Aſiã ſubegit. Cœpit hic motus inter Belgas, pręſertim in finib⁹ eorũ qui ſe nũc Hãnones vocãt, diſſenſione fratrũ Brennij & Belgij. Hi ſiquidem inteſtinã diſcordiã, qua in mutuã perniciẽ ruebãt, ſuadente matre peroſi, infinitã hominũ multitudinẽ è tota Gallia ſecũ trãs Alpes, velut peregrinatum traxerũt. Hos quia Romani aduenas Gallos, & Græci Xenones dixere: multi à nominis vicinia deluſi temere Senones credidere. Alludũt antiquitati, ferúntq; teſtimonium veritati, quædã quæ inter Hãnones extãt loca, amborũ fratrum Brẽnij & Belgij retinẽtia nomẽ *Brayner*, vel melius *Brenner*, oppidulũ Hãnonũ. Brẽnij maioris natu fratris, vt quondã ſedes fuit, ita & illius nomẽ refert, *Monbeulge*, oppidulũ aliud etiã in co-

mitatu Hānoníæ, à Belgio fratre natu minore nomē habet, quaſi *Monbelge*, id eſt mōs Belgij. Noſtra tamē ætas antiquitatis immemor hunc locū barbara voce Monabadiū vocat: quem vel Monbelgiū, vel Mōtem Belgium dicere debuerit. Nō igitur Senones, Galli, ſed vt etiā hiſtoria Titi Liuij habet, aduenæ Galli (quos à Græca dictione ξένος, multi Xenones, id eſt peregrinos & aduenas dixere: & quorū famoſæ eruptionis initiū à Belgis Gallorum (vt vult Cæſar) fortiſſimis cœpit Italiā, Græciam & Aſiam ſubegere: necnō & Gallogræcos, quos hodie ab antiqui nominis veſtigio, *Gadathas* dicunt, in Aſia condidere. Non dubium forte eſt complures è Senonenſi agro, nempe & ex vniuerſa etiam Gallia, in tantæ eruptionis tempeſtatem, vltro ſpe prædæ cōfluxiſſe: ſed nominis hallucinatio temere vni tribuit genti Senonū: quòd toti fuerit peregrinorum Gallorum exercitui adſcribendum.

Origo nominis Hannonū: à vulgari voce *Hinau*. Cap. II.

ET quia nūc de Belgis introducta mentio eſt, apud quos primus ille Gallorum motus efferbuit, nempe qui in ea quam nunc Hannoniam vocant, cœpit: dicendum pauliſper fuerit de halluſione vel origine nominis Hannoniæ, vulgo noſtro, *Hainau*, vel *Hinau*. Ductū enim id nominis eſt in vulgo, quod & toti tandē regioni ſedit, à modo affirmādi. Nam publicū eius regionis vulgus, reſpondere interrogantibus affirmando ſolet *Hinau*, id eſt certe ita: quod nos Samarobrini, & Veromandui eius regionis vicini, dicimus *Hin auy*. Ibi fit diſtinctio regionum affirmādo dicētium, *Hin auy* aut *Hinau*: quemadmodum & in Narbonenſi Galliá diſtinctæ ſunt nationes, *Languedoc*, *Languedouy*, id eſt affirmando dicentiū, *oc* vel *ouy*: quæ diſpartitio etiam hodie regioni *Languedoc* nomen dedit. Sic affirmandi modus in inferiore Gallia regiones diſtinxit, vt vulgo dicamus *Le pays de Hinau*, *Le pays de Hin auy*. Etenim *Au* & *Auy*, affirmationes ſunt: hęc Veromāduorum, illa Hannonū. *Hin* autē, quod præmitti ſolet in affirmationis certitudinē, cuiuſdam iuſiurandi vim habet: tanquā ſi quis ſimplici adderet affirmationi, diui Iohānis nomē: dicēs vulgo *Sainct Iehan auy*, *Sainct Iehan au*. Orta quippe eſt trūcata dictio *Hin*, à vulgari nomine *Sainct Iehan*: ſenſim eo modo *Hinian auy*, *Hin auy*: *Hinian au*, *Hin au*: ſic vnica tandem lapſu & eroſione temporum è tribus dictio, conflata ex quotidianæ affirmationis conſuetudine, pene ſuæ originis oblita toti nomen regioni dedit *Hinau*. Quod hodie Latini eius originis ignari Hannoniam finxere.

Hallucinatio in nomine mõtis Cyniſij, qui mons Sãcti Dionyſij dici debet. Cap. III.

PRAEDICTA hallucinatione in aliam quandam pene conſimilem tranſibimus: mons eſt inter Alpes vulgo *mont de ſenis*, quà frequentior patet à Gallia deſcenſus in Italiam: hunc Latini inconſiderata antiquæ vocis origine iuxta præſentis vocis alluſionem, Cyniſium mõtem vocãt: cum tamen hic à ſancto Dionyſio, primo Galliarum apoſtolo & vnico regni Francorum patrono (cuius etiam nomen in auſpicium victoriæ Franci in bellis inclamant) antiquũ deduxerit nomen. Dicendus enim eſt hic Mons Sancti Dionyſij vulgo *Mont ſainct Denis*: ſed & breuiloquium vulgi, & ſucceſſus temporum, & vitiũ labiorũ, ſenſim id nominis eroſit: vt è duabus dictionibus *Sainct Denis*, ventum ſit primum ad hanc *Sainct nis*: hinc in hãc Senis, quæ hodie in labijs omnium cõfuſa origine ſedet. Nam & qui hodie ad radices eius montis incolunt, velut propius antiquitati nominis alludentes & ſaniore cæteris labio, eum montem vulgo, *Le mont ſainct nis* appellãt, ſuppreſſa duntaxat ſyllaba *De*, è nomine *Denis*.

Hallucinari eos qui Sabaudiam à Sabatio Saturno dictã putant, cũm à Salua via tractum ſit id nomen. Cap. IIII.

AB hallucinatione nominis montis Cyniſij, decurremus in hallucinationem nominis Sabaudiæ, quæ huic monti ſubeſt. Sabaudiam (quod mirum certe eſt) nõnulli è doctis à Sabatio Saturno, qui ibi forte fugiens latuerit, dictam falſò credidere. Legant quæſo iſti veteres Sabaudiæ annales, quos typis æreis, Gallica lingua excuſos, pueri & mulieres præ manibus habent. Et vnde vulgare nomen *Sauoie* pependerit, facile perpendent: nam cum regio hæc ſita inter Alpes, præ locorum anguſtijs & habitatorum paucitate, quondam tota à latronibus obſideretur, qui prætereuntes aut iugulabant, aut ſpoliabant: nobilis quidam vbi eam regionem ab imperatore in titulũ ducatus obtinuit, cunctos ex ea prætereuntibus infeſtos vi armorum ſummouit, & viam peregrinis ſecuriſſimam præbuit. Quamobrem Saluã viam (quæ prius Mala via, vulgo *Maulvoie* vocabatur) eam in poſterum vulgo *Saulvoie* vocari iuſſit: ſed vt in cæteris accidit, edacitas temporis, eroſis eius nominis medijs literis, *Sauoie* pro *Saulvoie*, in ore hominũ liquit, quæ pene eius nominis originem confudit: quam etiam quidem antiquitatis ignarus, male Sabaudiam Latine dixit. Sed difficile nunc caſtigatur quod iam in ore

omnium ſedit. Grauius tamen errauit is author, qui à Sabatio id nominis deductum putauit.

De Allobrogibus, quorum vrbem vulgo *Ambrum*, male nūc quidam Ebredunum vocant. Cap. v.

QVIA nunc inter Alpes noſter calamus verſatur, ad Allobroges, qui ſiti inter Alpes ſunt, decurremus. Vrbs enim eorū Gallica voce *Ambrum* dicitur, cui Cæſar Latinum & elegās nomen poſuit Allobrogum, idem quidem vrbis & totiús adiacētis regionis & populi nomen. At vero poſteritas, velut antiqui & Cæſariani nominis immemor, magna hallucinatione hodie ipſam Allobrogicam vrbem Ebredunum vocat, temere ſuperfluum & inſulſum, introducens nouū nomen, vbi poſitum à Cæſare lōge & honeſtius & ſufficientius quadrat ta m vrbi, quàm toti regioni. Sæpe etenim numero quotiens vel V, vel M, in media vulgari dictione cadūt, verti hæ ſolent à Latinis in L, vel ſimplex vel duplex: vt *Auxois*, Alexia: *Aubert*, Albertus: ſic & *Ambrum*, Allobrox.

Hallucinatio Roberti Guaguini in nomine Attrebatenſium quos Arteſios vocat. Cap. VI.

CONSIMILI & pari hallucinatione Robert⁹ Guaguinus in Francorum annalibus in nomine Attrebatenſiū illuditur: quia cum Attrebatenſium regionem Gallicum vulgus, hodie *Artois* vocat: tum immemor Guaguinus vnde, & à qua forte vrbe pendeat hæc vox *Artois*, temere Arteſiū, Latinam vocem nouā confinxit, velut aptū totius Attrebatenſiū regionis nomen. Meminiſſe debuit idem vbique eſſe nomen, regionis & Temporeticæ vrbis: vti à Bellouaco vrbe, Bellouacos populos dici: à Sueſſione, Sueſſiones: à Veromando, Veromanduos: ſic ab Attrebato vrbe, Attrebates eos omnes cenſeri oportere, qui in Attrebaticæ vrbis agro ſedēt. Vrbs autē ipſa Attrebatū vulgo *Arras*, quaſi *At ras*, corrupto T in R nūcupatur. Regio autē ipſa *Artois*, quaſi *Arratois*, ſuppreſſa in medio litera A, quam temere & nomine inani Guaguinus Arteſiū dixit. Superuacaneum etenim eſt nouū ibi cōfingere nomē, vbi & antiquū & honeſtū ſupplet.

Hallucinatio Attrebatēſium in nomine quod fingūt Oſtrogoentum. Cap. VII.

BALLVNTVR nihilominus etiam hodie Attrebates, qui partem quandā agri ſui Archidiaconatu celebrem, Latine & imperitiſſime Oſtrogoentum appellāt, cōfin-

gentes ſine cauſa durũ & barbarum nomen, vbi antiquum non deeſt. Naſcitur hæc hallucinatio ipſis, quia hodie vulgus eam terræ plagam vitiatis labijs *Oſtreuant* vel *Otreuant* dicit: quam rectius *Atrebant*, vel *Atreuant* dici decuerit. Id enim fert antiqui nominis alluſio, Latino nomini Attrebatum, concinna & propinqua. Solet enim perſæpe litera A, corrumpi vitio labiorum in O, & B in V. Quamobrem lapſu temporum, cum vitijs labiorũ, nomen *Atrebant*, verſum eſt hodie in vocem *Otreuant*: quam neſcio quis primus antiqui nominis immemor, duriſſimo nomine Oſtrogoentum, ſiniſtime expreſſit. Ampliore hinc errore reprehẽdendus, quod ab Oſtrogothis, id appellationis ductũ crediderit: cum nec hominum memoria, nec vlla hiſtoria Oſtrogothos ibi ſediſſe & nouum regioni nomen dediſſe probet.

De nomine Valleſio, quod tractum eſt à nomine Valliæ, id eſt Galliæ. Cap. VIII.

TRANSIBIMVS hinc in regionem Galliæ, ſitam inter Belgas, quam noſtrates Valleſium inepto nomine & minus quàm par eſt, antiquitati alludente, vocãt: à qua etiam hodierni Francorum reges, à Philippo Valleſio antiquum Capeti cognomen linquentes, titulum cognominis adſumunt: Gallicum vulgus hanc regionem titulo ducatus inſignem, *Vallois* appellat: quod nomen ab antiquo Galliæ nomine proximã & indubitatã originem traxit. Nam ſolent Belgæ literam G, ſæpenumero commutare in V, vel ſimplex vel duplex, vt in his accidit, *Gaſcons*, *Vaſcons*: *Gallons*, *VVallons*: veſpa, *VVeſpe*, *Gueſpe*. Quãobrem in hac vna regione, quam nunc Valleſium appellant, antiqui Gallici nominis (quod vbique fere in Francorum aduentu deperijt) veſtigia remanſere: in qua etiam plærique ſunt pagi, à Gallo nomen habentes, *Gauuille*, id eſt Galli villa: *Gaulieu*, Galli locus: *uille Gau de retz*, id eſt villa Galli de retia ſylua. hunc vicum Parrhiſij hodie ſiniſtris labijs, *Villers cottres* vocant.

De nomine Cõpendij quod Cõbienniũ dicendũ. Cap. IX.

EST etiã in Valleſio ducatu (ſi hoc nomine cum cæteris vtemur) vrbs clara, quam noſtrates nomine rei ipſi nihil quadrante Compendiũ vocãt: Galli cum vulgus eam *Compienne*, quaſi *Combienne*: à binis amnibꝰ, Axona & Iſara, eo loci in vnũ cõfluentibꝰ, eam appellat. Vocẽt ergo Latini eã vrbem Combienniũ, vel Combenniũ, voce quidem Latina, cum vulgari voci amplius alludente, tum rei ipſius ſignificationi melius reſpõdente. Nã quia P & B, velut confines literæ, & ſono fere pa-

res, ſæpenumero in ſeinuicem vitio labiorum demutari ſolent. Hinc facile vox *Combienne*, trãſijt in hanc *Compienne*, quam quiſpiam primus male & ſine cauſa Latine Compendium dixit. Hæc eſt quam Carolus Caluus, & rex & imperator, cum ob ſyluarum amœnitatem diligeret, & crebro incoleret, auctam & inſtauratam muris, à ſuo nomine Caropolim vocari iuſſit: ſed eo mortuo nouum nomen obliuioni datũ veterem appellationem ex ore hominum profligare & abrogare nequijt: quæ reſumpta vſque hodie in labijs vulgi ſedet.

De nomine Aquitaniæ, quod Gallice voci *Guienne* ſatis alludit. Cap. x.

ET quia Cæſar in Cõmentarijs Galliam omnem Trãſalpinam tripartito diducit in Belgas, in Celtas, & in Aquitanos, non dubium eſt quin huius trinæ diſpartitionis nomina, vel à nominibus Emporeticarum vrbium, vel a proprietate quadam locorũ ducta ſint. Solet enim ſæpenumero vbique idem eſſe regionum quod & Metropolitanarum vrbium nomen. Vnde ergo Belgæ, vnde Celtæ, & vnde Aquitani ſint dicti, & à quibus locis horum penderit nominũ origo, vix iam meminit quiſquam: cum etiam hodie vulgaria & Belgarum & Celtarum nomina, vtpote obliterata & immutata, vix in hominum extent memoria. Soli Aquitani antiquum nomen in vulgi labijs ſeruant, id eſt *Guienne*, quod Latinæ appellationi paucis literis vitio labiorũ eroſis, & immutatis, ſatis alludit. *Guienne* enim, quaſi *Aquienne*, detruncata capitali litera C, & litera Q, quippe duriuſcula, verſa in confinem literã G, quippe ſono molliorem: A quoq; litera in E demutata, & litera T in medio dictionis, vt ſæpe fieri ſolet ſuppreſſa. Quidam Aquitaniam dictã volunt ab aquis: quod ea Galliæ portio præ cæteris, ingentibus fluminibus rigetur. Alij (quod ſimilius eſt veri) dictã ab eius nominis vrbe volunt, quæ hodie adhuc extet & antiquum nomen ſeruet, vulgo *Aques*, vel *Aquienſe*.

Origo nominis Belgarum & Picardorum. Cap. xi.

VNDE autem Belgæ dicti ſint, coniectura docet: quoniã à Belgio minore Brenni fratre, qui annis plus min⁹ ducentis ante Cęſarem floruit, & cũ Brenno fratre in peregrinam militiam cum trecentis Gallorum millibus è Gallia demigrauit. Nonnulla quippe hodie inter Hannones oppidula extant, dicta à Belgio, *Montbenge*, id eſt mons Belgij, *Belleſmone*, à

Belgij monte. Sed poſteritas Hannonum, noſtra ætate antiquitatis immemor, oppidulo *Montbergs* barbarum, ſiniſtrúmque nomen poſuit, vt quod ſine cauſa, ſine vlla antiquitatis alluſione, Monobadium vocat: quod dicendum Mons Belgij, vel Monſbelgium ſit. Cur autem nunc Belgæ ferè omnes à cæteris Gallis Picardi vocentur, & Belgica Gallia nunc Picardia: neque ab homine neque è libris didici. Quidam volunt id nominis ortum à Piquigniaco Ambianorum oppidulo: ſed id quidem hiſtoria, quod norim, tradit nulla: & qui id ferũt, neque cauſam, neque tempus eius imitationis nominis recenſent. Cum autem vitia labiorum ſucceſſu temporum prona ſint, & procliuia in corruptiones, & in nouationes nominũ, credibile eſt à Belgis ductum fuiſſe Picardorum nomen. Solent enim crebriuſcule in ore vulgi, vel molles literæ, in duriores: vel duræ, in molliores ſono affines, & pene cõſimiles labaſcere, atque corrumpi. Belgæ quondam in vulgo *Belgars* vocabantur: vitia autem labiorum, facile molles literas B & G, in duriores ſibi confines, & ſono pares, B quidem in P, & G in C verterunt: abrogata in medio litera L, & E in I, vel in vicinam vocalem verſa: ſic tandem ex nomine *Belgars*, effectũ eſt nomen *Picars*: quod antiqui nominis ſimilitudinem mentiens, ſuam pene originem confudit. Siquis in his obganniet, diſcat haud ratione nos ea in re poſſe iuuari: ſed ſola nominum alluſione, & veſtigijs antiquitatis inniti.

De Celtis, vnde forte id ſumptum nomen. Cap. XII.

DIXIMVS de Aquitanis, & Belgis. Supereſt de Celtis videre vnde id ortum ſit nomen: & an vſquam ſuperſit quopiam in loco reſiduum eius veſtigium. Veri etenim ſimile eſt à quadã forte eius nominis vrbe vniuerſam Celtarum regionem, eam traxiſſe appellationem. Diſtinguit Cæſar Celtas à Belgis, Matrona & Sequana fluminibus: quæ antiqua hodie nomina ſeruant: & quorũ origo, ſicut nullis nota non eſt, ita & nullis ignoti ſunt eorum termini. Matrona paulo ſupra Lutetiã Parrhiſiorum vrbem, in Sequanam labitur. Sequana, poſteaquã Matronam deglutijt, Axonam & Iſaram hauriens, in Oceanum Gallicũ, per Neuſtriæ fines decurrit. Eſt locus inter Sequanã & Matronam, octauo à Lutetia lapide, quem Gallicum vulgus hodie *Cellar* vocat: pagus eſt inſigni monaſterio virginum, ſanctæ Batthildis, quondam Francorum reginæ opus: vicina nominis alluſio, & ſufficientia antiquitatis veſtigia, cum ſitu & ratione loci, coniecturam faciunt hinc forte antiquum pependiſſe Celtarum

nomen. Forte is locus antiqua vrbs fuit, vel ante Cæſarem bella euerterunt: vel hominum inertia & habitatorũ infrequentia, ex vrbe clari quondam nominis in formam pagi redegit. Oriuntur equidem ſæpe cum vrbibus ipſa vtique nomina regionum, quæ tamen cũ ipſarum vrbiũ euerſione haud illico depereunt. Euerſa eſt ab VVandalis vrbs Veromãduorum, & in exigui vici ſpeciem redacta: nomen tamen regionis neque vetuſtas, neq; VVãdalorum iniquitas abrogare, & è memoria hominum detergere valuit: quæ hodie Veromandia, toto Francorum regno vocatur. Sic fieri potuit vt *Celles*, quaſi *Celter*, verſa litera T in L, quõdam vrbs, nunc vicus, toti Celtarum regioni nomen dederit, & appellationem. Diximus enim crebro accidere, vt litera T, in medio dictionum ſoleat ob duritiem ſui, vel ſupprimi à labijs, vel in aliam literam corrumpi. Quod quidem accidit in nomine Aquitaniæ, *Aquianne*: inde *Guienne*, in nomine etiã fluminis Matronæ: quod vulg⁹ ſuppreſſa litera T, *Marne* appellat. In nominib⁹ item Northmannia, Ruthpertus, Rothlandus, quæ commiſſa ſilentio aſperiore litera T, ſcribuntur Normãnia, Rupertus: inde Robertus & Rolandus. Ergo & nomen *Celer*, vel *Celles*: vitio labiorum, & ſuppreſſione literæ T, ortum eſt à nomine *Celter*, à quo Celtarum regionem dictam fuiſſe, veſtigia haud omnino obſcura docent. Sed is, qui Latine eam vocẽ confinxit, antiquitatis inſcius, ſiniſtra & dura voce, Calam appellauit: quo nomine eum locum cuncti hodie vocant.

De Borbonijs Gallis, vnde & nominis & Gentis origo. Cap. XIII.

CVM nunc in Celtis verſemur, dicendũ parumper de his eſt, quos hodie inter Celtas Borbonios vocant: vnde inquam gẽs ea exorta ſit, & quæ eius nominis cauſa. Hęc quidem gens, hodie in Heduenſi agro ſedet, cuius tamen in Gallia non prius meminit Cæſar, quàm poſt partam de Heluetijs victoriã. Cũ enim victos à ſe Heluetios intra ſuos fines redire coegit, Boi, qui cũ Heluetijs ſpe obtinendæ Galliæ finibus ſuis egreſſi, aduerſum Cæſarem arma tulerãt, parte Heduenſis agri, ab Heduis ob ſingularem virtutem donati, in eo quo nunc ſunt loco, permittente Cæſare ſederunt, nec in ſua redierunt. Hi igitur eum locum, quem dono Heduorũ obtinuere, de ſuo nomine, Germanico more *Bourgbon*, id eſt Burgum, ſeu villam Boiorum dixere. *Burg* enim Germanica lingua, villam ſignat. Poſteritas autem ex

nomine *Burg bon*, ſuppreſſa & ſilentio commiſſa litera G, confecit nomen *Bourbon*: quod nunc Latini Borbonium finxere.

De nomine vrbis, quam male noſtri Catelannũ vocant, vulgo *Chalon*, vnde id pependerit nomen. Cap. XIIII.

QVIA adhuc in Celtis ſedemus, tacẽda nõ eſt alia quædam noſtrorũ hallucinatio in nomine claræ cuiuſdam vrbis, quã Matrona fluuius alluit: & à qua adiacens regio, ſuum traxit nomen: vrbs ea vulgo *Chalon* vocatur, põtificia ſede inſignis: quã quia quidã, rationis nominis inſcius imperite Catelannum, vel Cathalannum Latine dixit: nunc eo omnes nomine eam vocant. Id tamen nomen parum admodum, imo nihil vulgari eius appellationi & origini nominis quadrat: quandoquidem qui eam Latinam appellationem vrbis ipſius nomenclaturę poſuit, Gallici nominis rationem & originem ignorauit. Vnde enim id nominis *Chalon*, vel *Chaalon* pependerit, meminit (quod norim) nullus: cum tamẽ à lucido veſtigio indagari facile queat eius origo, cui conſentanea eſt totius regionis appellatio. Eſt autem à campis longis, vel à campo longo exortum id nomen *Chalon*, quaſi *Champlong*: ſed vitio labiorum actum eſt vt eroſis medijs literis M & P & G, in fine ſuperſit hodie in labijs reſidua vox *Chalon*. nam & vulgares Gallorum annales adiacentem ei vrbi regionem, vocant Campaniam, id eſt *La Champaigne de Chalon*, quæ, *Champlong* dici deberet. Plani etenim ſunt & longiſſimi eius regionis campi, villulis & pagis admodũ infrequentes: hi ſunt campi illi memorabiles, qui ſub Attila Hunorum, & Meroneo Francorum rege, & Etio Romano, inſignem perpeſſi cladem, octuagenorum ſupra centena millium hominum, ſanguine maduere. De his Catelannicis, quos vocant, campis, nonnulli hallucinantur, qui putent hos eſſe campos Cataloniæ, quæ pars eſt citerioris Hiſpaniæ, hodie ſub rege Aragonum: eámque memorabilem cladem in Catalonia (cui à Gothis & Alanis nomen) fuiſſe perpetratam falſò autumant. Non enim in Catalonia Hiſpaniæ, ſed in Campania Galliæ, in planitie quam nunc vocant Cathelannicę vrbis, tantus hominum fuſus ſanguis terram rigauit. Cæſar autem in Commentarijs, nec meminit regionis Campaniæ, nec Cathelannicæ vrbis. Regio tum ad Rhemos pertinebat: vrbs forte nondum extabat, vel nouo poſt Cæſarem nomine imbuta vetus nomen obliuioni dedit.

De regione ignoti in Cæſare nominis, vulgo *Parthoiſ*.

Cap. XV.

EST etiam ſupra vrbem Cathalaunum (ſi eo nunc cum cæteris nomine vtemur) proficiſcentibus à Campania in Lothoringiam, cui à Lothario & Tulingia nomen, regio vulgo *Parthoiſ*, cuius nec meminit Cæſar, nec perſpecta ſatis eſt nominis cauſa, niſi id forte ductũ ſit à vico admodũ ignobili, nomine *Perthes*, qui in medio eius totius regionis ſpatio ſedet. Noſtra enim ætas cõplures vicos ignobiles cernit, quos priſca ætas clariſſimas vrbes tulit. Et contrà, noſtra nunc ætas, loca ingentibus cincta muris, & habitatoribus frequentia colit: quæ priſca ſecla, aut vt agros, aratro proſcidere, aut vt exiles vicos ſepibus cinxere. Sunt & non longe ab vrbe Cathalauno ſupra Matronam, qui ex Vogeſo mõte, vulgo *Le pays de Vaulge*, fluit, oppida nonnulla, quorum in Cæſare nulla memoria, vt quæ vulgo *Eſpernay*, & *Chaſteau Thyerri* vocantur. Regio quoque eſt iis vicina, vulgo *Tartenois*, noui & ignoti in Cæſare nominis. Haud enim omnium Galliæ vrbium, aut regionum meminiſſe Cæſar potuit: ſed & plurium quorũ meminit, nomina, poſteritas immutauit.

De Eſſuis, quos hodiernum vulgus *Tereſſe* vocat.

Cap. XVI.

REGIO quædam eſt non longe à noſtra Samarobrina, id eſt ab vrbe diui Quintini, quam quondam à Samane fluminis origine, Samarobrinã, quaſi Samanoriam dixere. Hæc regio, vulgo hodie *Tereſſe* vocatur: ſed noſtri in eius nomine hallucinantur. Nam quidam eam latine Terachiam vocant, obliti antiquæ nominis cauſæ. In ea enim regione ſunt hi, quos Cæſar Eſſuos vocat, cũ dicit ſe quidẽ miſiſſe vt in hybernis ſederẽt, legionem in pacatiſſimam regionem Eſſuorum: ſed quia poſteritas nomini Eſſuorum præmiſit vulgarem vocem *Terre*, conflatum eſt inde hodiernum eius regionis nomen *Tereſſe*, quaſi *terre Eſſe*, id eſt terra ſeu patria Eſſuorum: ſed accidit nunc vt vitio labiorũ multi id nominis corrupte efferentur, qui dicant *Tierache* pro *Tereſſe*: iiſq; qui Latinũ nomen Terachiã cõfinxit, nõ tam ad ipſam nominis cauſam, quàm ad præſentanea vulgi ora attẽdit. Solet enim litera E, ſæpe in *ie*, à vulgo corrũpi: vt lætitia, *lieſſe*: cælũ, *ciel*. Sic pro terra, vulgus noſtrũ ſæpe *Tierre* profert. Et cum etiã S, vel ſimplex vel duplex liqueſcat, ſæpenumero in Ch facile huic perpẽdere eſt: vnde nũc in labiis vulgi nõnunquã pro *Tereſſe*,

reſonet corrupta vox *Tierache*, qua vicini Hannones vtũtur. nam nos Samarobrini, regionem eam integriore labio *tereſſe* appellamus, quam Raymundus Marlianus, is qui in fine Commentariorum Cæſaris tabulam Gallicanorum nominum appoſuit, falſò inter Celtas veſtigat: cum ſit inter Belgas ſita, & partim Laudunenſi, partim Rhemenſi pontificatui attributa.

De Rhegodolijs, quos hodiernum vulgus *Retelois* vocat. Cap. XVII.

D latus eius regionis Eſſuorum, inter Rhemos & Len-
A cos, qui hodie Luxemburgi dicuntur, paulò citra Arduennam ſyluam, regio adiacet Rhegodoliorũ, vulgo *Rhedoeil*: quæ hodie corrupta voce, & molli litera D in T verſa, *Reteil* vocatur. Saltem id eſt vrbis ipſius nomen, à qua regionem totam vulgus *Retelois* vocat. In hac eſt Admagerobia, de qua in Cæſare mentio fit: & apud quam Ariouiſtus Germanorũ rex Gallorum copias fudit. Hęc eſt quæ ſub præſentaneo Frãcorum rege Franciſco, eius nominis primo, ab exercitu Caroli imperatoris obſeſſa, & ab Baiardo, egregio milite defenſa: diu quidem hoſtilem vim ſuſtinuit, nec tamen in hoſtium manus ceſſit. Hanc vitiato antiquo nomine noſtri nunc Maſeriam, vulgo *Maiſieres* appellãt. Solent enim literæ G & S, velut ſono affines crebriuſcule in ſeinuicem vitio labiorũ demutari: vt Itali faciunt, qui pro *Raiſon*, dicunt *Ragion*: pro *Maiſon*, *Magion*.

Hallucinatio quædam Ambianorum. Cap. XVIII.

ALLVNTVR etiã noſtri temporis Ambiani, qui vr-
F bem ſuam olim vel Abladenam, vel Somonobriam, vel Ambibariam dictã fuiſſe autument. Nam Cæſar haud alio, quàm Ambianorũ nomine eos vocat: Abladenæ enim prorſus nuſquam meminit. Somonobriam, ſeu Samarobrinã, nobis in Veromandenſi agro vendicamus: à Samone origine, qui paulo ſupra eam exoriens, & præter eam labens per oppida copluſcula, Hannum, Peronã, Bragium, Corbeũ, à Corbeo Bellouacorum quondam duce, ad Ambianos decurrit: à quibus per Piquinium & Abbauillanos, ſuas in mare aquas vomit. Ambibareti porro iuxta Cæſaris deſcriptionẽ, non vt vult Raymũdus Marlianus inter Belgas, ſed inter Celtas ſunt diſquirendi. Quidam ex alluſione nominis, ſed detruncatione primæ ſyllabæ eos eſſe putant qui hodie *Bar le duc*, vel qui *Bar ſus Aulbe* vocantur.

De euerſione vrbis Ambianorum, à Iuliano Cæſare, quem apoſtatam vocant Cap. XIX.

ET quia de Ambianis occurrit mentio, prætereũda non eſt opinio Ambianenſis vulgi eorum, qui hiſtoriarũ inſcij, putant vrbem ſuam, quondam velut ſitam iuxta aquas, ſolo decliuiorem fuiſſe, & aggeſtione humi tandem effectã ſitu altiorem: eo quòd quotidie in iaciundis nouorũ ædificiorum fundamentis, veteres vrbis domorúmque ruinæ, & antiquorum pauimentorum reliquiæ, plus minus duodenorum pedũ altitudine ſub terra effodiãtur. Id enim falsò vulgus autumat patratum quondam fuiſſe, vt beneficium vrbi nimium forte tum decliui impenderetur: quod Iulianus Cæſar apoſtata, poſtea quàm eorũ vrbem cepit, euertit, & ſolo æquauit: magno & ſemeſtri totius exercitus labore confecit. Ceperat Iulianus vrbem Ambianorũ, à qua vlteri⁹ profectus Morinos obſidebat: tum rebelles Ambiani, relictum ad cuſtodiam vrbis apud ſe Romanorũ exercitum, publico quodã feſto ſinguli ſingulos iugularunt. Reuerſus à Morinis Iulianus, denuo Ambianos obſedit, vrbem cepit, diripuit, cunctos peremit. Et non cõtentus in vltionem fuſi Romani ſanguinis, vrbem euertiſſe, etiã aſportata ab omni exercitu humo, quo nullum ſupereſſet vrbis veſtigiũ, totas euerſæ vrbis ruinas terra obruit: eáſque in agri formã redactas aratro proſcindi & triticum ſuperſeri iuſſit, & abijt. Sed inſtaurata tãdem ſuper ingeſtam à Romanis humum, vrbs Ambianorum, vetere vrbe ſitu altior, quotidie eius rei cauſam ignorantibus miraculo eſt: adſcribẽtibus quidem beneficio vrbis factum, quod in illius patratum eſt exitiũ. Viſitur adhuc vicin⁹ vrbi ager, cæteris agris multo depreſſior: è quo Iuliani milites aſportata humo, vrbẽ in perpetui agri formam redigere conati ſunt. Nondũ Iulianus ad imperium euectus erat: ſed ſub titulo tantum Cæſaris miſſus cum exercitu in Gallias à Conſtantino imperatore cõſobrino ſuo, vt rebellantium Galliarum motus ſedaret, qui re ſtrenue geſta rebellauit: & ex Cæſare ſe in porta Ambianorum cõſentiente omni exercitu, Auguſtum declarauit. Rebellionis autẽ hæc occaſio illi fuit, Cũ reiecto CHRISTI cultu magicas artes amplexus, dæmonium diſcipulus factus eſſet: ærea corona ab Odardo quodam Ambianenſi mago exculpta, & pro portis Ambianorum ſuſpenſa in caput ipſius portas ingrediuntis, caſu decidit, & aptiſſime eũ coronauit. Hoc viſo omine vniuerſus mox exercitus.

ei applauſit, & imperatorem conſalutauit: nec imperium Iulianus detrectauit. Huius audita rebellione, Conſtantius cum bellum aduerſum eum pararet tertio poſt menſe, morbo ex dolore animi cõcepto moriens, vni Iuliano inuitus imperium liquit. Ne quis fabulã hanc putet, vulgaris hiſtoria apud Ambianos hæc habet: Vincẽtius quoque hiſtoricus, huic hiſtoriæ cõcordia ſcribit.

Hallucinatio de Morinis. Cap. XX.

A B AMBIANIS tranſeundum nobis eſt ad Morinos, vti Ambianorum vicinos. Nam hodierna hallucinatio in ipſo nomine Morinorum tegenda ſilentio non eſt. Vrbs quidem tranſlata vſquam non eſt, quæ hodie ſuo in loco & nomine extat. Sed poſteri ipſum Morinorum nomen falſo *Taruanne*, ſeu *Tarubane* vrbi dedere: quam hodie vulgus, *Terouanne* vocat: vtraque enim vrbs, & Morinorum inquam & Teruanna, ſuũ nomen Cæſare antiquius habet, & vſque hodie id ſeruat: quanquam *Terouanne* vrbis, Cæſar nõ meminerit. Ptolemæus aſtronomus, qui poſt Cæſarem floruit, in Almageſto ſuo Taruannam eã vocat: & in epitome Iohannis Tritemij, quam de vetuſtiſſimis regibus Francorum, qui ante Cæſarem ſub Sycambrorũ nomine in Germania regnauere, crebra de Tarubanis mentio fit: cum ſcribit interdum Sycambros, traiecto flumine Rheno, omnes Belgarũ fines vſque ad Tarubanos percurriſſe: diſtantia eſt exigua nominum Taruannorum, & Tarubanorum: cum ſæpenumero, B & V, velut literæ pene ſonõ pares, in ſeinuicẽ demutentur. Si tũc Tarubani, vel Taruanni erant hi, qui & hodie eo ipſo nomine cẽſentur: cur quæritur quando, & à quo poſtea inditum illis eſt antiquiſſimũ Morinorũ nomen? Morini igitur haud ſunt Taruanni: ſed cũ ex alluſione nominis, tum ex ſitu maritimi loci, hi ſunt Morini, quos hodie corrupto nomine Monſterolos vocat: vulgo *Monſteroeul*. Nam Taruãni mediterranei ſunt, Morini maritimi, è quorum portu Cæſar iuſſo prius interfici Dũnorige Heduenſi, quippe rebelli, in Britanniam traiecit. Et mirũ quod cũ de Menapijs meminit Cæſar, quoſdam quidem Menapios velut inter Morinos, aut Morinorũ vicinos tangit: quoſdam vero in ripa Rheni fluminis ponit, quos nocte à Teucatheris, cum Rhenũ tranſierunt, oppreſſos fuiſſe ſcribit: nunc vtrorunque Menapiorũ nomina, abrogata prorſus è memoria hominum ſunt: quanquam ſatis ipſa loci coniectura docet Menapios, Morinorũ vicinos, eſſe vrbem eam, quam hodie ſancti Andomari dicunt.

Raymundum Marlianum in compluribus Gallicanarũ vrbium & regionum nominibus errare. Cap. XXI.

E T vt generatim de nominibus Gallicanarũ regionũ & vrbium dicamus, non ſatis confidendũ in tabula Raymundi Marliani: qua in fine Cõmentariorum Cæſaris, antiquitatem ſingulorum nominum, ſuis adaptare locis nititur: quandoquidem is in compluſculis & vrbibus & regionibus oberret. Valleſios is in initio literæ C, ſtulte intet Celtas commemorat: cum ſint hi, ſicuti iam diximus, inter Belgas requirendi: nempe infra Matronam & Sequanam, ad Aquilonẽ ſiti: Sueſſionibus & Nouiodunis vicini, haud longe ab vrbibus, Combiẽnio quam Compendium vocant: & Syluanecto, quarũ præſentanea nomina in Cæſare ſilentur. Nemetocernam Belgarũ vrbem, quam vulgus hodie *Nammers* vocat, ſitam in finibus Arduennæ ſyluæ, Raymundus Marlianus Spiram ſuperioris Germaniæ vrbem, Rheno adiacentem, temere eſſe credit. Brantuſpantium item maximum quondam Bellouacorum oppidum, in quod imminente Cæſare, Bellouaci ſua omnia contulerunt, Raymundus in Sueſſionenſi agro locat: cũ hodie Brantuſpantiũ, nuſquam neque quidẽ de loco, neque de nomine extet: quod quondam in Bellouacenſi agro inter Bellouacos & Ambianos non minimæ authoritatis fuit. In eo ſicut nonnullis placet, loco, vbi inſignis hodie pagus eſt nomine *Grant Viller*: alijs placet, vbi extat pagus vicino & alludente nomine *Grattepance*: corrupta vitio labiorum, & longinquitate temporum, prima eius nominis litera B in G.

De oppido Belgio. Cap. XXII.

E RRAT quoque Raymundus Marlianus in Belgio, in quo ſæpe Cęſar, vt Belgas Gallorũ fortiſſimos in fine cõtineret, hyemauit. Nam à ſtolida & inconſiderata nominis alluſione deceptus, Belgium, Bellouacum eſſe putat: cũ tamen nominis vtriuſque, & Bellouaci & Belgij, Cæſar ſeorſum ac diſtinctiſſime meminerit: Vulgaria amborum nomina, *Beauuais* & *Bauais*, penę in ore conſimilia, Raymundum fefellerunt. De Belgio res eſt anceps, quia id hodie non extat: quod nonnulli, quia id diu Romanis reſtiterit, ab eis euerſum fuiſſe ſcribũt: ſed res neque tẽpori, neque nomini bene quadrat. Nam Cæſar in Belgio, decimo & extremo ſuæ prouinciæ anno, paulo ante quàm in Italiã ad ciuile bellũ proficiſceretur, hyemauit. Quamobrem Belgiũ adhuc extabat, & nec æquatum ſolo erat: à quo igitur, & quando illud euerſum ſit, legiſſe non memini. Inſuper vulgare nomen *Ba-*

uais, qui hodie inſignis pagus eſt, à nomine Belgio diſſentit. Belgius Brennij frater fuit: nomen autem *Bauais*, à Bauone antiquiſſimo quodam rege & eius cōditore, qui etiam primus Coloniam peregrinorū hominum & aduenarum, in eum locum deduxerit, extractum fuiſſe volūt. Si igitur *Bauais*, Belgium fuit, quo pacto, aut quando excuſſo Bauonis nomine, Belgij nomen inijt? Et quo rurſum modo, & quādo obliterato nomine Belgij, antiquum Bauonis nomen reſumere potuerit? Similius veri eſt Belgiū, extante adhuc & loco & proximo nominis veſtigio, hunc fuiſſe locum, quē hodie barbare & ſolide Monobadiū appellant, vulgo *Monbenge*, id eſt *Mont belge*: adiecta ad nomen Belgij, vt ſæpe fieri ſolet, vulgari dictione *Mont*, & confecto nomine *Monbelge*: Sicuti diximus factum in Eſſuis, quibus præmiſſa vox terra, cōfecit vulgare nomen regionis *Tereſſe*, id eſt terra Eſſuorū: ſicut etiā in Neruijs effectū videmus, quorū nomini antiquo, id eſt Neruio, præmiſſa vox Turris; Turriuernium nomen conflauit. Quod quidē vulgo *Tourner* exprimi labijs debet: ſed verſa poſtrema litera R in I, vulgus hodie *Tournay*, nominis originē neſciens, profert. In nomine quoque Borboniorum, id idem effectum mōſtrauimus: in quo præmiſſa Germanica vox *burg*, nomini Boiorū, à quibus exorti ſunt Borbonij, confecit nomen *Burgbon*. Inde vitio labiorum ſuppreſſa in medio litera G, *Bourbon*.

De publicis per Galliā vijs, quas hodie vulgus vocat *Les chemins de Brunehault*. Cap. XXIII.

ET quia nuper de Belgio ſermo nobis incidit: quod nonnulli volunt eſſe vicum vulgo dictum *bauais*, priuſquam hinc excedamus, narrāda eſt vel hiſtoria vel fabula vulgi, quæ huic pago alludit. Fert eius regionis vulgus in eo loco quōdam poſt Bauonē regnaſſe quendam nomine Brunehaldum, vulgo *Brunchault*, arte quidem inſtar Iuliani apoſtatæ magum, & dęmonū amicum: qui cum ſæpe paluſtrium viarum difficultatibus offenderetur, impetraſſe à familiari dæmone vt quod humano opere vix perfici poſſe animaduertebat, id concita & repentina dęmonis opera adimpleretur: ſcilicet vt per omnem Galliā ab eius regni ſede, inſignes & publicæ viæ lapidibus ſternerētur. & ne fabulę (ſi fabula eſt) authoritas deſit, in eo vico quem incolæ *Bauais* vocant, in medio eius foro extat hodie colūna lapidea, & ſuper columnā marmorea tabula: ſub qua ab incolis, inchoare omniū eiuſmodi viarum capita referuntur, quæ ab eo loco in omnes Galliæ partes, & ſublimi & recto tramite exporriguntur. Viſuntur &

vſque hodie plurimis in locis eiuſmodi vię ſtratę lapillis ſilicinis: quas hodiernum vulgus, ſemitas Brunehaldi: id eſt, *Les chemins de Brunehault* appellat. Hæ id præſertim miraculi habēt, quòd ſublimiores ſint vicinis vtrinque agris: quòd inter inſignia Galliæ oppida, rectiſſimum iter conficiunt: quòd ſilicinis lapillis, qui etiam vicinis in agris deſint, ſternuntur: adeo vt vel ab humo ebulliuiſſe ſilices, vel ęthere ſublimi eos pluiſſe quis iudicet? vel alia quàm humana manu, & opera vndecunque toto orbe lectos, in eiuſmodi viarum ruderationem quis demiretur? Narrauimus rem cuiuſmodi in ore vulgi ſedet: ſi fabula eſt vel hiſtoria, ponderet lector, & vel memoriæ vel obliuioni demandet.

Cur multarum Galliæ vrbium nomina deſinunt in dunum. Cap. XXIIII.

DICEMVS in fine, & id adhuc vnum, quod forte pauci hactenus animaduerterunt, cur nomina plurium Galliæ vrbium, quæ Cæſar latine & elegantiſſime confinxit, finem faciunt in dunum, vt Nouiodunum, Vxellodunum: quorum meminit Cæſar, Laudunum, Lugdunum, Vertodunum, Auguſtudunum: Dunum, Caſtrodunum: quorũ Cæſar meminit nuſquã, preſto eſt huius cauſa. Sonat ibi litera N, à vitio labiorũ, pro M. Dumi enim, latine fruteta ſunt vel rubi, qui cũ præſertim in collibus, & editis ſuccreſcant locis, hinc antiquitas Gallorum, etiam ipſos colles, & editiora quæq; loca, dumos vocare cõſueuit: quod & Hiſpani quoque nunc faciunt, qui ſyluas & ſylueſtria quæque loca dumis rubiſque conſita, quanquam etiã ſitu decliuia, ac depreſſa, vulgo ſuo *montagnas*, id eſt mõtes appellãt: quia ſyluæ plus in montibus, quàm humilibus aut paluſtribus in locis naſcantur. Hodiernum etiam Gallorum vulgus, prominentia loca, & exporrectos in altum diuerſarum regionũ tumulos metáſve, necnon & litora paulo ſublimia vocat *dunes*, quaſi *dumes*, à dumis: verſa M litera in N. Hinc ergo ex conſuetudine effectum eſt vulgi, vt vrbium quæ in collibus, & præruptis locis ſitæ ſint, nomina finiantur in dunum, quaſi in dumum: cadente quidem vitio labiorũ, & longinquitate temporum litera N in M. Experimentũ docet nullam earum vrbium, quarum nomina in dunum deſinunt, vel non vicinis collibus adiacere, vel non in colle aut monte ſedere: quẽadmodum nec vllas in Gallia vrbes, aut vicos experiere, à põte, fonte, monte, nomen habentes: qui vel pontis, vel fontis, vel mõtis præſentiam mentiantur. Id etiam in Germania accidit: in qua complures vrbes & loca, ab his tribus, *Bruch, Bergen, Burg*, ſua no-

mina vel inchoant vel finiunt. *Bergne* enim vel *Berch*, Germani mõtem, *Bruch* pontem: *Burg*, ſuo more villam vocant. Solet etiam nomen villæ, in tota Gallia perfrequẽs eſſe: quo quidem vel agreſtes pagi & vici, necnon & vrbes nonnullæ cenſentur: vel quod eorũ nominibus præmitti aut poſtponi, de more Gallorum cõſueuit. Dicta eſt autem, vt nõnullis placet, villa, quaſi vehilla, à vehẽdo: quòd omnia ex agris frumenta, in eam ſoleant vehi, & euectione tranſferri. A villa porro tracti ſunt vilis & villus: quòd omnia in villis quàm in vrbibus ſint & viliora, & à villis ob animaliũ frequentiam minus emuncta, minúſque deterſa. Ne poſtulet de his lector plura, nobis hic dicendi finis erit.

EXCVDEBAT ROBERTVS STEPHANVS
PARISIIS, ANN. M. D. XXXIII.
PRIDIE NON. FEBR.

BIBLIOTHEQUE NATIONALE R.F. IMPRIMES

[illegible]

[illegible] quod ſunt in [illegible]

[illegible] medicis [illegible]